







ÆR

pag. 183.

ERII

E





NTI

ÆR

pag. 184.

I S.

VII





Æ

edita &
. Qui-
AN-
n

o, &



n &

GULIELMI FORNERII & ANTONII CONTI


Tractatus

DE FEUDIS.

Ut & Constitutio Caroli III Imp. olim edita & exposita à MARQUARDO FREHERO. Quibus accedunt *Elementa Iuris Feudalis* FRANCISCI HOTTOMANNI, opusculum postumum, nunc primun editum

à

CORNELIO VAN ECK, Icto, & Antecessore Ultrajectino.



LEOVARDIÆ.
Apud HERONEM NAUTA Bibliopolam & Typographum. M.DC.XCIV.

PRÆFATIO.

Studiosæ Legum Juventuti, suisque præcipue Auditoribus

S. D.

CORNELIUS VAN ECK.

Quod nuper, cum in lucem emitterem Ioh. Fred. Böckelmanni *Viri Cl. Tractatum postumum, tentatum est in* Iure Canonico, *ejus nunc periculum facere constui in* Iure Feudali; *an non videlicet prope desertum & neglectum, ut* Canonici, *ita* Feudalis Iuris *studium postliminio in auditoria Academica reduci, Vobisque commendari possint.*

Quod putabam nullâ ratione effici posse felicius, quam si é tenebris in lucem protraherem fugitiva quædam præstantissimorum jctorum opuscula, atque ita Vos tetricæ Juris Civilis disciplinæ mancipatos, paulatim excitarem, atque exstimularem ad perdiscendas etiam, horis subcisivis, illas faciliores, & majorem juris Gentium simplicitatem, æquitatemque, remotis nodis &

apicibus Juris Civilis Romani, præ se ferentes constitutiones Juris Canonici, & Feudalis, quæ quò propius ad nostra tempora, & hodiernarum Rerumpublicarum formam accedunt, eo perniciosius earum ignoratione in Foris & Academiis errari & peccari solet.

De utilitate & necessitate Iuris Canonici *dixi aliàs latius, & mei Vobis consilii, atque instituti rationem exposui.* De *utilitate* Iuris Feudalis *si idem nunc facere instituerem, argumenta, quæ hanc quoque Juris Romani & Hodierni partem commendant, non caperent bujus præfationis, maximè alienis operibus prefixæ, angustiæ, & tentarem*

Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem.

Rogabitis forte rationem, quæ me movere potuit, ut hos Gul. Fornerii, *&* Ant. Contii *commentarios, ante seculum à* Marq. Frehero, *unà cum notis ad Constitutionem Feudalem Caroli Crassi Imp. editos, in lucem revocare, quam aliquod Vobis hodiernorum Scriptorum Systema interpretari*

terpretari, aut ipse novum Iuris Feudalis *Compendium, quo nihil erat facilius, componere maluerim. Ratio, quam quæritis, in promptu est. Videbam enim plerosque viros eruditos, qui his temporibus animum appellunt ad libros* de Jure Feudali *scribendos, vel nimis esse verbosos, quam ut eos in institutione Academicâ commode sequi liceat, vel nimis accommodatos ad peculiares patriæ suæ consuetudines, quam ut in* Collegiis, *variis variarum nationum civibus, qui ad capiendum ingenii cultum ex omnibus orbis terrarum partibus ad Academias mittuntur, eam præstare possint utilitatem, quam & professores promittunt, & auditores exspectant.*

Quare illos potissimum auctores quærendos, & consulendos existimavi, qui, ut in studio Juris Civilis faciendum esse res ipsa loquitur, & omnes æqui rerum æstimatores, qui de arte nostrâ in consilium mitti, & censere possunt, fatentur, ferè toti sunt in explicando paucis & perspicuis vebis illo Iure Feudali, *quod est omnium maximè commune, id est, quod ex consuetudine*

 natum

natum, & duobus vulgò libris comprehensum, partem constituit Juris Civilis Romani.

Non inveniebam, qui hoc, pro ratione institutionis Academicæ, accuratius præstiterunt, quam Fornerius & Contius, qui in jure illo, quod dixi, Feudali communi occupati, in Feudis Galliæ suæ sunt parcissimi.

E' quibus ad vestros si quid non pertinet usus,
Attamen exemplo multa docere potest,

ut Ovidii verba mea faciam.

Accedunt, ut in priore editione, Constitutio Feudalis Caroli Crassi, & ad eam Notæ, reconditæ in hoc Studiorum genere eruditionis plenæ, Marq. Freheri, Viri Cl.

His comitem adjunxi Franc. Hottomannum, in illo, quem nunc primum videtis, Tractatu postumo Elementorum Juris Feudalis, *manu, nisi me oculi & omnia fallunt, Ioh. Hottomanni, Fr. Fil. descripto. In quo insignis*

ſignis ille, & ſolo Cujacio minor, Ictorum coryphæus, totus eſt in exponendis oratione perſpicuá, & verè Latinâ, primis Juris Feudalis communis principiis, inſuper habitis variarum Regionum diſſidentibus ſæpe ſtatutis, quæ auctor Jurisprudentiæ cultores, poſt confecta Academiarum ſpatia, ex ſuæ quemque patriæ moribus & uſu forenſi, qui optimus eſt rerum quotidianarum magiſter, quam ex Doctrinâ Academicâ haurire ſatius existimavit.

Hæc ego Contii, Fornerii, ac Freheri fugitiva, & diu deſiderata, ac quaſi tenebris ſepulta opuſcula in uſum veſtrum iterum t pis committere, & eadem occaſione expoſitum illum, ac paucis fortè viſum Hottomanni fatum è bibliothecâ meâ, ubi aliquot annis delituit, manumittere, quam ingentem illam, & mole laborantem ſuâ ſcriptorum multitudinem ſine neceſſitate novo ſyſtemate augere malui, qui perſuaſum habeo, multa eorum, quæ his temporibus, novorum librorum feraciſſimis, in lucem

eduntur , *procul abesse ab elegantiâ & eruditione horum aliorumque ICtorum* , *qui tanto numero proximè elapsum seculum*, *& Iurisprudentiam ornaverunt.*

His ducibus & auctoribus subcisivas horas in studio Juris Fudalis *collocate*, *quod vobis & usui necessarium*, *& fructu uberrimum esse ipsi*, *vel me tacente*, *intelligitis. Viam autem rationemque in hac Iurisprudentiæ nostræ parte proficiendi si quæritis*, *eandem*, *ne longo Vos sermone morer*, *Vobis sequendam censeo*, *quam Cujacius*, *quo in arte nostrâ nihil politius*, *nihil eruditius unquam vidit Res literaria*, *de ratione universi studii juris rectè instituendi ab auditoribus suis consultus*, *his verbis monstrasse fertur*: Facite, quod me videtis facere. *Id est* LABORATE, *&*, *omissis fallacibus adolescentiæ illecebris*, *libros Iuris Civilis*, *quorum auctoritate*, *solis divinis exceptis literis*, *nulla nobis in terris major est* , *quæque partem quodammodo Iuris Civilis constituunt*, *monumenta* Iuris Feudalis, *& hos*, *quos vobis exhibeo & commendo*, *atque id genus alios melioris notæ Interpretes.*

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Valete.

Gul. Forn.

GUIL. FORNERII ANTECESSORIS Aurelianensis,

DE FEUDIS COMMENTATIO.

CAP. I.

DE JVRE FEVDALI.

LEGES feudorum duobus libris contentę, partim ex *Conradi primi*, *Henrici primi* & *tertii*, *Lotharii tertii Friderici primi & secundi Impp.* institutionibus collectæ, partim variis Mediolanensium, Cremonensium, Placentinorum, aliorumq; populorum moribus descriptæ, partim responsis prudentum illustratæ, Uberti de Ortensii, Gerardi Capagisti, Philiberti Episcopi, commentariis locupletatę sunt. Earum non unus autor habendus est *Hortensius*: sicuti nec Digestorum unus *Ulpianus*, cujus sententiæ in Pandectas, ut Hortensii in hos libros referuntur,

I. Autoritas quæ sit, quæritur? Non dubium est, quin apud Mediolanenses obtinuerint

erint iura hæc, populi moribus tacitè introducta, quæ *consuetudines feudorum* inscribuntur. *L. 32. de quibus, ff. de legib. toto tit. Cod. Quæ sit longa consuetudo.* §. 9 *Instit. de jure nat. gent. & civi.* Apud alias gentes non æquè valebunt, nisi quoad Impp. consensu approbatæ, & longa temporis diuturnitate usitatæ fuerint. Nam quod publicè fit, probabiliter ignorari non potest, *L. 11.* §. 3. *ff. de Institor. actio.* & maxima est vetustatis autoritas, *l. 1. in fi. l. 2. in prin. l. ult. De Aqua plu. arc. l. 3.* § *ductus 4. de Aqua quot. Novel. 23. de Appellat. c. 3.* Sed non tanta, ut necessitatem imponat iis, qui municipalibus propriisque civitatis legibus obsequi debent: quia in toto iure sanctio specialis generali derogat. *l. 41. sanctio, De pœnis, l. 80. de Reg. iur. c. generi, De reg iur. in 6.*

III. Quare his libris, unde multa nos in usum nostrum haurimus, tanquam bonis & æquis ferè passim utimur: non tam ideo, quod Franci vel Germani ea legislatione obligentur; sed quia, quemadmodum Romani leges Atticas imitati sunt, & Lacedæmoniorum mores, indeque suas duodecim Tabularum leges descripserunt, & in suam rempublicam invexerunt, *l. 2. De Orig. iur* §. 10 *Inst. De jur. nat. gent. & ci.* & nos Romanorum iure, quasi eunomia, ad caussas li-

tes-

tesque dirimendas hodie utimur, *lib.* 1. *tit.* 2. *De feud.* Quid vetat quo minus & has beneficiariis litibus decidendis, unde placita feudalia manarunt, accommodemus? Nam & in iure pontificio crebra feudorum mentio est; imo & titulus, *cap.* 1, & 2. *Ext. de feud. c.* 7. *De constitut. c.* 5. *c.* 17: *De judiciis. c. penult.* & *vlt. De pœnis. c.* 7. *De foro comp. c. gravem. De sentent. excom. cum sexcentis aliis:* Et verò in legibus Galliæ municipalibus primum ferè locum sibi vindicat titulus *De feudis.*

IV. Feuda contra dispositionem iuris communis introducta esse non modo ex eo apparet, quod in universa Romana legislatione de his nulla mentio habeatur: sed etiam, quod in feudi successione æqualitatis inter heredes ratio non habeatur, *cap.* 1. *De feud. succ.* quam Romanæ leges tantopere commendarunt, *l. vlt. Cod. de Lib. præter. l.* 11. *inter. C. famil. herci∫c. l.* 17. *ut liberis, C. de collat. l.* 77. *cum pater filios.* §. 21. *De legat.* 2. Tum quod servitutis species sit feudum, *cap. vlt. De ser. non ordinan. Lib.* 1. At omnis servitus mirè improbatur libero homini imposita, *l.* 71. *Titio*, §. 2. *De cond.* & *demonst. l. penult. ff. de oper. libert.* pręterquam in redempto ab hostibus, *l. vlt. C. de cap.* & *post. l.* 43. *in fine, De legat.* 1. & in liberto ingrato, *l.* 19. *in-*

gratus, *De iure patro.* licèt quidam dissentiant, qui caussantur hac inæqualitate diuturniorem familię memoriam conservari *l.* 1. *De vent. inspic.* ut apud Vascones, Normannos, & Britannos Armoricos, primo geniti filii in obtinendo patrimonio universo conditio iniquior, cæteris fratribus minoribus natu non potest non esse gravis; sed ea ratione familiam in plures non divisam facilius conservari.

V. Ex quo illud primum infertur; Feudum non præsumi, nisi probetur, *Bart. arg. l.* 8, *alius*, *C. De servit.* (Contrarium tamen in Gallia observatur) ut nec prę̨scriptione, cujus non extat memoria, liberum potius esse prædium; *l. 6. comperit*, *C. De præcript* 30. *vel.* 40. *annor.* quod & jure civili inductum videri possit, ex *l:* 2. *C. in quib. causis in int. rest.* inspiciendus est autem annus ultimus, ut intelligamus quis sit in possessione feudi, *l.* 1. §. 1. *De itinere actuque privato.*

VI. Secundo infertur, pacta omnia pœnalia adjecta in feudi constitutione, esse rejicienda, *l.* 1. §. *quæ onerandæ*, *ff. quar: rerum act. non.* Ex his intelligitur male sensisse *Haloandrum*, *Zasium*, & sequaces, cum de feudorum origine, de qua dicere paramus, disseruerunt.

DE

CAP. II.

DE ORIGINE FEUDORUM.

I. Feudorum, quæ non modo Romanis legibus incognita, ſed plerunque etiam adverſa, originem à Romuli inſtitutis onnulli repetunt, nempe à clientelis, Zaſius *l.* 2, *De orig. iur. & c.* 1, *De feud.* Budęus *ad l. Herennius*, §. 63. *De Evict.* Cujus rei conjecturam capiunt, quod olim tenuioris & abjectioris fortunæ homines ſeſe in procerum Romanorum clientelam conferrent jure applicationis, ut eorum patrocinio tuti, non tam facile à potentioribus opprimerentur, *Dionyſ. Halicar. lib.* 2.

II. Etſi fateor inter patronum & clientem magnum neceſſitudinis, pietatis, & officii vinculum interceſſiſſe, ut hodie inter *Dominum* & *Vaſallum*; duplici tamen ratione ſuperiori ſententiæ non ſubſcribo: tum, quod illa, mutua clientelæ officia, de quibus Gell. *lib* 5. *c.* 13. perſonalia magis fuerunt, quam realia; feudum autem prædium datum deſiderat, quod in vetere clientelarum jure conceſſum nuſquam reperies. Sed & in multis differunt, nec enim vaſallus confert in dotem filiæ domini, nec dominum ære alieno im-

immersum liberare, & eximere carcere sua pecunia tenetur; *tit. si de feud. defunct.* §. *non est consuetudo,* & *ibi gloss. De alien. feud. pater.* quod cliens ille Romanus, de quo Halicarnass. & Gellius meminerunt, patrono suo debebat. Præterea etsi juris autores non uno in loco *clientum* meminerunt, *l.* 5. §. 1. *De his qui deiec. vel effud. l.* 3. §. 1. *De usu & habit. l.* 7. §. 1. *De capt. & postl. rever. l.* 3. §. 6. *de penu leg. l.* 89. *d. Furt. l.* 3. *C. Novat.* Tamen ad nostrum vasallum, (qui quandoque *clientulus* nominatur, *lib. I. tit.* 10. & 13.) applicari atq; accommodari clientela illa non potest. Obsequia pietatisque officia mutuò exhibita video; prædia jure feudi concessa nulla video, cum tamen feudum sine re immobili esse nequeat, ut statim in definitione ostendemus.

III. Lucas de Penna feudorum primam caussam refert ad prædia tributaria & stipendiaria, de quibus §. *per traditionem. in fine.* 40. *Inst. de rer. diui.* Sed fallitur: cum feudum gratuitum sit, *beneficiumq.* nominetur. Cæterum illius loci explicatio ex Græca Theophili paraphrasi repetenda est, & *Connano lib.* 3. *cap.* 1.

IV. Sunt qui tradant, inde beneficiorum originem deduci, quod militibus prædia darentur. Viglius *Inst. de militari testamento.*

Ha-

Haloander *ad Novel. Iustini.* militias, στρατείας, eo sensu quo feudum dicimus, accipit apud Iustinianum, & Oldendorp. *in class. act.* Quod Antonius Augustinus in sua ad Lælium Taurellum *De militiis ex casu* epistola, refellit, & Lazius *lib.* 1. *cap.* 2. *de Repub. Romana.* Constat tamen veteranis agros fuisse assignatos, ejusq; vestigia extant in *l. Lucius* 11. *De euiction l.* 15. §. 2. *De rei vindic.* Qui agri duabus literis, A. V. *veterano asignati*, notabantur, interprete Valerio Probo, in libello *De notis antiquis.* Qua de re apud auctores *De limitibus agrorum* plus satis. Quo pertinet Cæsaris ad milites oratio apud Lucan. lib. 1.

Conferet exsanguis quò se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis?

Harmenopulus lib. 1. Epitomes, στρατιωτικὰ κτήματα, στρατιωτικοὺς τόπους, *prædia militaria, possessiones militares*, in quadam Zenonis constitutione vocat. Sed non omnis militia feudum est; sicut nec omne feudum, militia. Et feminæ feuda habent, *lib.* 2. §. 30. *De feud. femin.* Quin & regna apud Scotos, Britannos, Navarros, aliosque non paucos popu-

los feminis deferuntur, exceptis Celtis, ut ait Arist. *lib.* 2. *Polit* ubi ait de iis qui parent muliebri imperio. Nec vero eæ militiæ, quæ in jure nostro emptæ, legatæ, pignori datæ leguntur, *l.* 49. § 1. *de leg.* 2. *l. penult. in fine. De legat* 3. *l. vlt. C. de pigno. l.* 18. . 2. *De aliment. & cib. leg.* sunt pro feudo accipiendæ: sed pro officio seu ministerio sumendæ: cum officii & militiæ nomine idem significetur, *Conan. lib.* 4. *cap.* 15. *in fine*, cujus *mercedes*, Latine *commoda* dicuntur, *l. patronus* 35. *de leg.* 3. *leg.* 23. *d. adimend. leg. l.* 1. *c. de primip. Vitruvius in præfatione lib.* 9. Græcis recentioribus dicitur κεθεον, definiente Hesychio, liberalitas quædam & donatio à principe collata, & subsidia ad vitæ usum necessaria, recentissimi Græci ῥογὰς, *rogas*, vocarunt, ut Cedrenus & Zonaras. Sed id non est feudum. Nec ad rem pertinet, quod ex historiis colligitur, agros militibus donatos fuisse, & Horatio Cocliti tantum agri concessum quantum uno die aratro circumarari posset; Mutio Scævolæ pratum trans Tiberim datum, & statuam exædificatam. *Dionys. Halic. lib* 4. *Livius lib.* 1. *Decad.* 1. Quin & Marco Curio Dentato centum agri jugera publicè data, autor Plinius *de vir. illust.* Hæc non donata prædia, sed pro egregii facinoris mercede soluta sunt; & quidem in

præ-

præteritam, non in futuram caussam, *argum. l.* 27. *l.* 34. §. 1 *De donat.* Feudum autem gratuitum est *Seneca lib.* 3. *De Beneficiis l.* 1. *De donat. l.* 82. *De reg. jur.*

V. Quid ergo est? verius est, à variorum populorum legibus, moribus, & institutis ac temporibus Feuda manasse *tit.* 1. *lib.* 2. *De feudis* In Gallia antiquitus feuda fuisse ex Cæsaris *lib.* 6. *De bello Gallico*, colligunt quidam, cum ait, *vetustum in Gallis celebreq; clientum nomen; & quo quisque amplior esset, eo plures clientes habere. More Gallorum* (inquit) *nefas est deserere clientes dominos suos, etiam in exremis malorum.* Sed iis verbis non efficitur, nec inde apparet prędia clientes habuisse; quamvis de fide & mutuis officiis præstitis, nulla dubitatio sit.

VI. Crediderim paullo ante Caroli Magni tempora feuda cœpisse; & ex jure Longobardorum, qui à Carolo Magno bello superati sunt, originem duxisse, ex bello; quia ob belli caussam præcipuè feuda conceduntur, *lib.* 2. *tit.* 1. & sæpe *miles*, in his libris *vasallus* dicitur. Quare ut miles ad belli necessitatem paratior habeatur, & sumtus bello necessarios facilius ferat, huc referenda sunt quæ de limitrophis fundis dicuntur, *l.* 1. & 3. *C. de Fund. limitroph. l.* 2. *C. de off. præfect. prætor. Orient. & Illyr. l. penult. C. de offic. mag.*

milit. & lib. 1. *Feud. tit.* 1. *& tit.* 14. Lampridius in Alexandro, *Quod de hostibus*, inquit, *captum fuit, limitaneis ducibus & militibus donavit; ità ut eorum essent, si heredes eorum militarent, nec unquam ad privatum pertinerent: dicens attentius eos militaturos, si etiam sua jura defenderent.* Hactenus præfati, ad feudi definitionem divisionemque transeamus.

CAP. III.

DE FINITIO.

FEUDI.

I. Feudum est *Libera & benevola rei immobilis, vel æquipollentis concessio, clienti facta, ejusve heredibus maribus legitimis, per investituram, cum utilis dominii translatione, recepta reservataque proprietate, sub fidelitate & exhibitione servitiorum, seu obsequiorum honestorum. Feud. lib.* 2. *tit.* 23. cujus definitionis singula verba suum pondus habent & suam sententiam; ideoque sigillatim exactiusque enucleanda.

II. *Benevola.*] Substanstia feudi est liberalitas & benevolentia, & ut gratuitum sit feudum. *lib.* 1. *tit. penult.* §. *beneficium*, *lib.* 2. *tit.* 23. Unde distinguitur ab Emphyteusi, quę pecuniam mercedemq; desiderat.

III. *Rei.*] Feudum pro re accipimus: ut à ve-

à veterum clientela diſtinguatur, in qua patronum dediſſe clienti prædium nuſquam legitur.

IV. *Immobilis.*] Quia mobilia ideo in feudum non dantur, quod ætatem non ferant, facileque uſu corrumpantur. *d. tit.* 23. In quo feudum ab uſufructu differt, qui in ſervis, pecudibus, & iumentis, oleo, vino, frumento, ſtatuis, imaginibus, cæteriſq; rebus, uſu perituris conſtitui poteſt. §. *conſtituitur* 2. *Inſt. de uſufructu.* feudum verò in heredem migrat, *d.* §. *beneficium*, & *lib.* 2. *tit.* 8 & *tit.* 26. In quo feudum cum emphyteuſi, de qua ſupra tactum eſt, convenit.

V. *Æquipollentis.*] Cujuſmodi ſunt reditus, nummi, annui reditus, *Novell.* 7. 120. *l. jubemus.* 14. *C. de ſacroſanct. eccl.* penſiones ex camera, cavena: ſuperficies ſolo non cohærentes. *tit.* 1. *lib.* 2. §. 1. ut eſt ius piſcandi, venandi, aucupandi, lapides ſcindendi, vectigalia & portoria (quæ *pedagia* vocant) colligendi, *Aluarot. d.* §. *ſciendum.* Item decimæ quæ Laicis dantur, & campi partus ſeu fructus, ut ex Aurel. aliiſque Gallicis conſtat: qvod ius jam Lateranenſi concilio antiquatum eſt. Zaſius 4 *parte ſeudorum. Duarenus lib.* 7. *cap.* 1. *de ſacris miniſter.*

VI. *Heredibus maribus.*] Natura feudi eſt, ut ad heredem tranſmittatur, *lib.* 1. *tit.* 25. niſi

nisi personalia sint, quæ interdum ad tempus dantur, ut feudum Guardiæ & Gastaldiæ, *lib.* 1. *tit.* 2. *insuper Parisiorum lege. tit.* 1. §. 2. *M*asculis autem regulariter solis, quasi familię columnis, *l.* 195. *De verb. signif.* Feuda, exclusis fæminis, deferuntur; nisi aliter pacto sit conventum; alioqui non admittuntur exstantibus masculis, *lib.* 1. *tit.* 1. §. 3. *& tit. de feud. fæmin. lib.* 2. *tit.* 30. Hinc nata est vetus Lex Salica, ex eodem scilicet fonte, unde & hi libri profluxerunt, cujus vis & usus inde usque à Philippi Magni ætate fuit, si Aristoteli credimus, *lib.* 2. *Polit. in verbo*, ἔξω τῶν Κέλτων, *de qua Papon. lib.* 4. *tit.* 1. *Arrest.* 2. Similis fuit Romanorum lex Voconia, de qua Tullius non uno in loco, Theophil. *initio tit. de leg. Falc.* quæ fæminas à successione arcebat, sublata per *leg. ult C. d.hered.* renovata in feudis, moribus Gallorum.

VII. *Per investituram.*] Sine investitura nec constitui feudum, nec comparari potest, *lib.* 2. *tit* 2. Fit autem investitura hastâ, annulo, baculo, vel alia re corporali porrecta, ut infra latius.

VIII. *Utilis dominii.*] Etsi feudum transeat ad heredes, nec sine culpa auferatur, *lib.* 1. *tit.* 21. *De feud. sine culp. non amitt.* utile tamen dominium transit in accipientem,

re-

remanente penes concedentem proprietate, *lib.* 2. *tit.* 8. in quo accedit emphyteusi, qua prædia perpetuo fruenda conceduntur *l.* 1. *Si ager vecting. l.* 1. *C. de jure emphyteut.* §. 3. I. *d. loc.* Nam & fruenda dantur clientibus beneficia, *lib.* 2. *tit.* 23. in quo differunt ab usufructu, qui morte extinguitur, §. 3. I. *d. usufructu.* Feuda vero in perpetuum dantur, exceptis paucis, cujusmodi est *feudum Guardiæ* & *Gastaldiæ*, *lib.* 1. *tit.* 2. Sed ea quæ rarò accidunt, definitionem ex communiter accidentibus conflatam non vitiant.

IX. *Exhibitione servitiorum.*] Pro fide & obsequio fidei, (unde feudum deducunt, *lib.* 2. *tit.* 3.) iusiurandum necessarium est, quod obsequium seu servitium, *Homagium* seu *hominium* vulgo vocant, id est, servilis quædam opera; non quod verè servus sit cliens, ut videlicet cum hominem in jure simpliciter dicimus, servum significamus; sed obnoxius tantum. Sic posteriore sęculo *homines* dicuntur subjecti, clientes, domestici, vasalli, *l.* 4. *C. de dignit. l.* 1. *de cond. & hominib. domus Augustæ. Cod. Theod. l.* 5. *eod. C. de repar. appellat. l. penult & tit. C. just. de censit. per æquat. & in spec. Cassiodorus lib.* 10. *epist.* 5. *l.* 2. §. 1. *C. de Episc. & Cleric. l.* 1. *C. de commerc.*

X. *Honestorum.*] Honesta obsequia esse opor-

portet, cum nulla rei flagitiosæ obligatio sit, *l.* 26. *l.* 123 *De verb. oblig.* *l.* 12. §. 11. *ff. mand.* Unde abrogatæ sunt turpes Gallorum beneficiariæ leges, quibus licebat patrono prima nocte cum desponsata clienti puella concumbere: & merito, ut nec libertus patrono in turpibus obsequi tenetur, & inhonestas operas detrectare potest, *l.* 38. *De oper. libert.* Sic nec vasallus domino turpia imperanti parêre cogitur. *lib.* 2. *tit.* 28. sed nec servus domino in turpibus obsequitur, nec in facinoribus dicto audiens esse debet *l.* 21. *ff. rerum amotar. Theoph. ad* §. 1. I. *de jure nat. & l.* 20. *De oblig. & act.* *l.* 17. §. 7. *De injur.* veluti incendere templa, ædificiis publicis manum inferre, hominem jugulare, *Quint. declam.* 380. *&* 257. *Seneca declam. vlt. lib.* 3. *Gell. lib.* 2. *cap.* 7. Impossibilium enim nulla est obligatio: turpia autem jure impossibilia censentur, *l.* 15. *ff. de cond. instit.* *l.* 125. *De verb. signif.* Honesta igitur obsequia esse debent, in quo & illud continetur, in generali feudi seu jurisiurandi conceptione, tacitè excipi obligationem, qua superiori juratus obligatur.

XI. Huic definitioni non obstat, quod pecunia interdum ex pacto intervenit, ut *lib.* 1. *tit.* 27. *lib.* 2. *tit.* 24. & moribus nostris feuda non plane gratuitat sint, sed interdum mercedem pensionemque desiderant. Nam hoc

jure

jure Longobardorum rarò fit; nec eſt omnino contra ſubſtantiam feudi, ſed contra naturam tantùm, id eſt, ſolitam legem. Pacta quæ contra naturam & ingenium contractus ſunt, adiici quidem poſſunt: quæ verò ſubſtantiam ipſam lædunt, adjecta nullius momenti ſunt *pen. l* §. *ul. l. 72. De cont. empt. l. 12. De précario.* Simile eſt pactum, ut ex depoſita pecunia domino uſuræ præſtentur, id quidem notiſſimos depoſiti fines, id eſt, naturam excedit: ſed tamen valet. *l 24. ff. depoſit. l. 11. ff. d. reb. cred. l. 27. ff. de donat. cauſ mort.* Hactenus definitio; diviſio ſequitur.

CAP. IV.

DIVISIO FEUDORUM.

I. Differentia Feudorum eſt multiplex. Prima hæc, ut ſit *feudum antiquum*, id eſt, paternum vel avitum; vel *Novum*, id eſt nunc primum à cliénte quæſitum, cujus apud Gallos diſcrimen maximum eſt; quia filius patri vaſallo heres nihil debet, præter obſequium & fidem: extraneus autem poſſeſſor multo amplius debet. Hujus ſpeciei mentio fit *lib. 2. tit. 11. tit. 14. & tit. 50.*

II. Secunda: *feudum* vel *Rectum* eſt, id eſt

est *purum*, vel *conditionale*. *Purum* est, quod habet rectam propriamq; naturam feudi: *Non rectum*, cui inest conditio, ut non revocetur, vel pactum ut alienari possit. Deniq; cui hoc ex feudo inest tantum, ut amittatur ex his caussis, ex quibus solet amitti feudum, *lib.* 2. *tit.* 26. § *feudum*, & *tit.* 28. Simile ius Gallicum; quo indistincte permissa est clienti beneficii alienatio, Lotharii & Frederici constitutione id prohibetur.

III. Tertia: feudum aliud *Ligium*, id est, supremum; aliud *Non ligium*, id est, subalternum. *Ligium* proprie est, quod à summo Principe concessum, nullius inferioris obsequii exceptionem adjectam habet. *Non ligium* verò, quod ea lege & conventione fidem obsequiumq; promisit, ne de superioris jure quidquam decedat, seu salvo jure superioris, *lib.* 2. *tit.* 28. & 55. *in fin.* Cujus differentiæ mirum in his libris silentium, frequens in historiis mentio est, & in Clementinis, & apud Speculat. *tit. de feudis*.

IV. Quarto feudum aliud *Regium*, aliud *Non regium*: *Nobile*, vel *Plebeium*, id est, (ut quibusdam placet) quod possessorem suum *nobilem efficiat, vel non. lib.* 1. *tit.* 14. & *lib.* 2. *tit.* 34. Sed mihi non placet indistincte quemquam à prędio nobilitari, quamvis nobili; sed à principe tantum; neque id simpli-

pliciter; ſed ita demum, ſi quis à Principe de Marchia, Ducatu, vel Comitatu inveſtiatur, *tit.* 14. *lib.* 1 Nam ſi prædium nullam dignitatem annexam haberet, non pariet poſſeſſori ſuo nobilitatem: veluti ſi Rex vel Imperator de uno manſo, nullam dignitatem habente, quem inveſtierit, id eſt, agro quem par boum uno die arare poſſit, *lib.* 1. *tit.* 4. §. 5 *&* *c.* 1. *Ext. de cenſ.* Si autem annexa ſit feudo dignitas, eaque præcellens, non dubium eſt, quin ejus conceſſione nobilitas quoque tributa cenſeatur. Nam cum dominus ſervum tutorem facit, tacite eum liberat, *l.* 32. *in fine ff. de teſta. Tut. & Inſtit.* §. 1. *Qui teſt. tut.* Et qui juriſdictionem mandat, omnia transferre intelligitur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt. *l.* 1. *De jurisdict.* Et conceſſa ſervitute omnia permiſſa cenſentur, quæ ad uſum ſervitutis neceſſaria ſunt; ut, ſubſtructio pontis, *l.* 3. *in fine, De itiner. actuq; privato l.* 10. *de ſervit.* Denique conceſſo aliquo jure, præcedentia quoque, adjuncta, & conſequentia accedunt, ſine quibus eo jure quod conſecuti ſumus minus commodè uteremur, *d. l.* 3. *&* 10. vel ad id etiam non perveniremus, *l.* 56. *l.* 62. *De procurat.* Eadem igitur ratione feudum dignitate præditum à principe collatum, dignitatem nobilitatemque ſuo poſſeſſori conci-

liabit. Ut apud Gallos Episcopus Belvacensis, Laudunensis, Rhemensis, non solum Comitatum & Ducatum habent, sed etiam regni fiunt Pares ex illis duodecim, qui par excellentiam dicuntur *Les douze Pairs de France*.

V. Non est autem in dubium revocanda hac in re Principis potestas: potest enim nobilem creare nec fas est, an minus digne contulerit, de eo disputare, *arg. l. 3. ff. de offi. prætor. l. 57. in fin. de re judicat. l. 3. C. de crim. sacril. l. 5. C. de divers. rescrip.* Nobilitate ergo recens à principe donati, verè sunt nobiles; sed *novas imagines* vocat Plinius, ut distinguantur ab iis, qui ab antiqua stirpe nobilitatis suę originem ducunt. In quo illud observandum est, ne sit obreptum Principi, *arg. d. §. 1. Instit. qui testam. tut.* Sed & pœna merito iis irrogari possit, qui plebei cum sint, audent tamen cultu & insignibus nobilium sese nobilibus æquare, eorumque jura usurpare, *arg. l. unicæ. C. ad legem Visell. l. unica. C. quand. civ act. cum Vlp. in frag. tit.* 3. Ubi puniuntur libertini, qui ingenuorum jura & ornamenta sibi vindicant. & hæc quidem hactenus.

VI. Universam de re beneficiaria seu feudali distinctionem, in tria capita distribuemus, Vlpiani exemplum secuti, in *l. vlt. De legib.* Aut enim de acquirendo, aut retinendo,

do; seu tenendo; aut amittendo, seu alienando feudo differemus.

Cap. V.

DE ACQVIRENDO FEUDO.

TRibus modis Feudum acquiritur, *præscriptione*, *investitura*, id est, traditione, & *successione*; quorum duorum quidem posteriorum tantum meminit Ubertus *lib*. 1. *tit*. 5. *in fin*. Sed non est difficile ex aliorum locorum collatione, tertiam speciem adjicere, *lib*. 2. *tit*. 26. §. 4.

Cap. VI.

De Præscriptione.

I. Quisquis xxx. annos beneficium, nulla antecedente investitura possedit, fidemq; domino dedit, eiq: pro more clientum obsecutus est, præscriptione se tuebitur, *d*. §. 4. hoc enim temporis spatio omnes fere actiones jure Romano extinguuntur, *l*. 3. & 4. *C*. *de præscript*. 30, *vel* 40 *annorum*.

II. Quod in privatis duntaxat obtinet. Nam quæ ab ecclesia vel repub. feuda proficiscuntur, partim xl. partim centum an-

nis acquiruntur. *l. vlt. cûm Auth. ſequent. C. d. ſacroſanct. Eccleſ.*

III. REGULA: 2. Dominus XXX, annis beneficium, quaſi ad ſe reverſum poſſidens vaſallum vindicantem repellit, *d.* § 4. *&* §. *vlt. lib.* 2. *t.* 26 Sed & idem dominus à quovis extraneo poſſeſſore plenum dominium vindicabit; ſi quidem tanto tempore bona fide poſſederit. *l. penúlt. C. de præſcript.* 30, *vel* 40 *annorum.* hoc Galli dicunt *facere ex feudo dominium*, apud Carnutenſes *articulo.* 65. Latini, *conſolidationem* nominant, Græci, συναλοίφην, *Theoph.* §. *vlt. de uſufruct.* Galli, *reunion.* Eſt enim illa tricennalis præſcriptio à Theodoſio inſtituta, ſecuris litium, finis controverſiarum, patrona juris humani, quæ etiam in publicis obtinet, *Caſſiodor. lib.* 3. *epiſt.* 31. *lib.* 5. *epiſt.* 37. *in fine*, *Procopius de bello Vandalico lib.* 3. Male * Rẹvardus & Vinetus apud Sidonium (*lib.* 6. *Epiſt.* 8.) de hac re agentem *triennalis*, poſuerunt, juris imperitia.

IV. Moribus Gallorum nec cliens domino, nec dominus clienti prẹſcribit, propter neceſſitudinem, & jus amicitiæ ultro citroque contractæ. *Pariſien. leg. tit.* 5. *artic.* 7. *&* 67. *Aurelianenſ. art.* 18. *& tit. de præſcript.*

* Rævardus & Vinetus notati.

art,

art. 3. & 4. idque non ſine æquitate. Nam ut jure civili Romanorum inter ſocios & coheredes locum non habet longi temporis præſcriptio *l.* 3. & 4. *C. in quib. cauſ. ceſſ. long temp.* utque qui pro alio poſſidet, nullo tempore præſcribit, *l.* 2. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40 *annor.* ita nec vaſallus, ſalva bona fide, jus patroni in ſe transferre prȩſcriptione, quæ bonam fidem perpetuo deſiderat, *c. poſſeſſio*, *De reg. jur. in* 6, *cap. vigilanti*, *c. vlt.* 10. *de præſcript.* Nam perfidiæ anſa præberetur, ſi præſcriptionem hoc caſu admitteremus, cum à ſociis conjunctiſque perſonis nobis non caveamus, ut facilius rem neglectam & jacentem interceptam uſurpare poſſint, & nobis obrepere, *Cic. pro Roſcio Amer.* Quod ad extraneum non pertinet, nec ad centenariam ſeu ſæcularem præſcriptionem, ex quo homines meminerint: quæ quidem ſemper propter vetuſtatis autoritatem excepta intelligitur, *cap.* 1. *X. de præſcrip. in* 6. Nam antiquitati rerum ſtandum eſt, quoties aliunde fides peti non poteſt, *l.* 1. *in fin. l.* 2. *in pr. l. vlt ff. de aqu. pluvia. l.* 3. §. 4. *ff. de aqu. quot.* magnum eſt enim vetuſtatis pondus, magna dignitas & autoritas *l.* 28. *D. probat.* Item licet vaſallus totum feudum vel contra dominus uſucapere nequeat, partem tamen poterit: & hoc eſt

 quod

quod dicitur in Aureliana conſuetudine, *non à toto, ſed quanto*, id eſt, pro parte præſcriptionem inter has perſonas admitti. Ceterum quod dicitur *lib.* 2. *tit.* 26. §. *ſi quis triginta.* Ita verum eſt, ſi duo concurrant. Primum ut alteruter poſſederit x x x. annis; deinde ut tanquam feudum jure clientelari poſſederit. Non obſtat quod unius anni ſpatio dicitur, quia id pertinet ad conditionem jurisjurandi, utrum domino an vaſallo ex juſta cauſſa potius deferatur, ſi teſtes inveſtituræ nulli fuerunt adhibiti, à quibus probatio exigeretur: Sed hæc ad præſcriptionem non pertinet. Non adverſatur *tit.* 34. *lib.* 2 §. 1. *nec tit.* 55. *verſ. Nos autem*, ubi dominus alienationem revocat, idque nulla præſcriptione obſtante, quod nonnulli ita diluunt, ut præſcriptio ſolvatur x. vel xx. annorum, *quæ longi temporis poßeſſio* dicitur, *l. vlt. C. de præſcript. long. temp.* non de tricennali, de qua *d.* §. *ſi quis triginta*, quod mihi non placet. Itaque verius eſſe crediderim, hanc quoque tricennalem intelligi, ac rejici, quoties feudum contra præcepta legum dominiq; voluntatem alienatur: ut ſingulare ſit, nulla poſſeſſione, nulla exceptione dominii directi jus convelli poſſe. Nam cum mala fides poſſeſſori non ſuffragetur, *c. poſſeſſor, De reg. jur. in* 6. malæfidei autem po-

possessoris sit, qui contra interdicta legum mercatur, *l 7. C. de agric. & censit. c. contra, De reg. jur. in* 6. non dubium, alienati contra Imperatorum Lotharii & Frederici constitutiones feudi præscriptionem defendi non posse. Hæc de præscriptione: sequitur ut de investitura disseramus.

Cap. VII.

DE INVESTITURA, SECUNDO ACQUIrendi modo.

I. Naturalis acquirendi beneficii modus est investitura, id est (ut scribitur *lib.* 2. *tit.* 2.) *Possessio, quæ fit quando hasta vel aliud corporeum quodlibet porrigitur à domino feudi, testante se investituram facere, idque solenniter præsentibus & adhibitis testibus, paribus curiæ seu convasallis, vel iis deficientibus, extraneis saltem.*

II. Dicitur, *vel aliud corporeum*, cujusmodi est annulus, *c. 4. X. de concess. præbend.* Paulus Æmilius lib. 5. Gallicæ historiæ: *vestituræ ecclesiasticæ, baculique sacri, ac annuli dandi jure cessit Augustus.* Baculi, annulli, gladii, hastæ, vexilli, glebæ ex fundo arreptæ traditio, ritu solemni facta, argumen-

tum eſt poſſeſſionis *c. 2. X. de conſuet.* ubi *Scotatio* vocatur, *& tit. 1. de pace tenen l. 77.. §. 2. de leg. 2. l. 9. §. 6. de acquir. rer. dom, l. 1 §. pen. de acquir poſſeſſ. l. 1. C. de crimi. expil. hered.* Sed ita demum clauium traditio poſſeſſionem transfert, ſi res præſens ſit, neque tantum pedibus, ſed & manibus & oculis poſſidemus rem præſentem vel certe demonſtratam, *l. 74. de contrah. empt. l. 51. de acqui. poßeſſ. l. 79. de ſolut. l. 2. C. de peric. & commod. rer. vendit.*

III. Non eſt igitur inveſtitura proprie traditio, ac nec poſſeſſio vera, ſed nota quædam ac argumentum tributi feudi, cum præcedit contractus, fides ſequitur, tum ritus ſuſcepti clientis in præſentia teſtium, denique poſſeſſio nam hic ordo ſervatur: nec aliud eſt inveſtitura quàm confirmatio promiſſi feudi. *Veſtire* enim Longobardis eſt *confirmare* & *conſtituere.* ut errare videantur ii qui Latinam vocem putant *inveſtituram*; quamvis non negem, *veſtituram* a'io ſenſu dici, & *inveſtimentum* à Livio *lib.* 4. Sed nihil ad rem, ut & ii improbè calumniantur Azonis traditionem de veſtitis pactis; quæ nudis oppoſuit, non quod veſte tecta ſunt, ut Quintinus *in Analect,* & *Corraſius* in Miſcellaneis deriſerunt; eumq; ſutorem pactorum ne frigeſcerent, dictitarunt, ignari vocis antiquæ

qua

qua pacta veſtiri, id eſt confirmari re ſecuta, ſtipulatione, lege dicebantur, *gloß. l. juris gent. 7. de pactis.* Sic inveſtitura feudi commfirmatio eſt teſtibus adhibitis facta, *lib. 2. tit. 58. c. 3. §. idcirco. c. 3. X. de de his quæ fiunt à major. part.*

IV. Inde quæritur, an cum extranei teſtes non ſint idonei, exceptis feudis clericorum *lib. 1. tit. 26.* an ſint idonei, qui pares eſſe deſierunt, qui vaſalli erant tum, cum promitteretur feudum, ſed amplius non ſint tempore inveſtituræ. *Reſp. lib. 2. tit. 19.* valere teſtimonium. Quod diligenter notandum pro pondere teſtimonii, ut ad rei geſtæ tempus referatur qualitas conditioq; teſtis, non ſolum ad tempus quo teſtimonium dicitur. Quæritur etiam, utrum inveſtitura fidelitatem præcedat? & præcedere debet. *lib. 2. tit. 4.* ubi obiter obſerva Amphibologiam, ſimilem veteri oraculo: *Aio te Æacida.* & ei quod extat in *l. alio. 9. ff. de aliment. & cib. legat. eos alere te volo.* Sed hæc obſcuritas tollitur ex *tit. 7. in fin lib. 2.* ubi ſicut & in duobus præcedentibus titulis, concepta fidelitatis formula deſcribitur.

V. Quæritur, præſtita fide, factaque inueſtitura, ſi dominus in poſſeſſionem inducere vaſallum nolit, cogine poſſit? Et *d. tit. in fin.* traditur, compelli poſſe, & per

moram ad omnem utilitatem obligari: quamvis jure civili, qui promisit tradere, præcise non cogatur, sed præstando eo quod interest, liberetur, *l.* 1. *l.* 12. *De Action. empt.* ut accidit in omnibus faciendi obligationibus, quæ in obligationem ejús quod interest transfunduntur, *l.* 13. *in fi. de re jud. l.* 72. *vers. Celsus, De verb. obligat.*

VI. Duplex est investitura propria scilicet & impropria. Propria corporalis, de qua jam dictum est; altera verbalis tantum seu civilis, quam Gellius *festucariam* vocat, *lib.* 20. *cap.* 10. id est, adumbrata & imaginaria possessio, quæ solo domini testimonio nixa sufficit, etiamsi desint alii testes. Cur enim ei non credatur, cujus potissimum interest? *arg. l.* 3. §. 1. *D. sc. silan.* Cur si vasallus contentus sit domini confessione, aliena solemnia desiderabimus? Et hodie hoc jure utimur in Gallia.

VII. Ut autem rectè atq, ordine fiat investitura, quatuor hæc dispicienda sunt. Primum, an is qui investituram fecit feudumve dedit, facere dareve possit. Deinde, an is cui dederit, sit idoneus. Tum, an ea res data sit, cujus dandæ facultas fuerit. Postremo, an eo ritu, quo debeat, & solemnibus adhibitis facta sit: in quo nos Hermogeniani partitionem imitamur in *l.* 7. §. 1. *ff.* de

de confirm. tuto. Primum igitur videamus, qui feudum dare possint.

Cap. VIII.

DE HIS QVI FEVDVM DARE POSSINT.

I. Feudum dare possunt ii penè omnes, quibus rerum suarum alienatio non est interdicta, id est, domini. Quo in numero habentúr & viri ecclesiastici, veluti Episcopus, Archiepiscopus, Abbas, & reliqui deinceps clerici, *lib.* 1. *tit.* 1. 6, 26. Ergo & Romanus Pontifex, qui aliis præest, *can. cuncta*. 6. *q.* 43.

II. Sed ita, si res infeudari potest, id est, in feudum dari solita sit. *d. tit.* 1. *&* 6. Neque enim decimæ à clericis in Laicos transferri possunt, prohibente id Lateranensi concilio, *cap. prohibemus*, 19. *X. De decim. cap. cum apostolica.* 7. *de His quæ fiunt à prælat. Silius in* 9. *canon. cap* 2. *cap* 5. *&* 6. Etsi solemnia serventur, de quibus *can. sine exceptione*. 12. *q.* 2. *c. nulli, De rebus eccle. non alienand. Novell.* 7, *&* 120. *Auth. hoc jus, C. de sacrosſ. eccl.*

III. Sed & nulla dubitatio est, quin viri ecclesiastici suum ipsi patrimonium ab eccle-

siæ

ſiæ peculio diſtinctum, in feudum dare poſſint liberè, ſicut & teſtari de ſuis facultatibus, *Apoſt. can.* 40. *can. ſine manifeſte.* 12. *q.* 2. quo pertinet tit. *de peculio cleric.* Quare ſi quid clericus de ſuo patrimonio delibare & in feudum concedere velit, proclivius eſt ut ſine capituli conſenſu ſolitaq; ſolennitate valeat inveſtitura, *d. tit.* 26. *verſ. in clericorum.*

IV. Reges, cæteriq; principes, qui præter Deum ſuperiorem non agnoſcunt, feuda vel regalia, id eſt, dignitatis expertia, ut villam, fundum, ſilvam, *d. tit.* 1. *& lib.* 2. *tit.* 10. Quin & omnes Laici, ruſtici, plebeique feudum dant, quod dicitur *ignobile*, *d: tit.* 10. ſi tamen mentis ſuarumque rerum compotes ſint, nec eis interdicta ſit alienatio, *l.* 7. *ff. de donat.* ut ſurdo, muto; prodigo, furioſo, *l.* 2. *tit.* 3. quo loco & fæminæ id licere traditur & minori XXV. annis, in feudo ſcilicet veteri confirmando, non novo conferendo.

V. *Hîc* tractatur de tutore, cujus autoritatem in veteris feudi inveſtitura neceſſariam eſſe negat Accurſius. Tum quod feudum, út ager vectigalis, amplius tradentis non ſit, *argum: l.* 1. *ſi ager. vect.* Tum quod pupillo paternum debitum ſolvere neceſſe ſit, *c.* 1. *X. de ſolut.* & quidem ſine prætore autore, *l.* 5. §. 6. *de rebus eorum.* Idemque *Zaſius*

part.

part. 5. sentit. Ipse ab utroq; dissentio. Tum quod feudi dominium non absolute in accipientem transferatur, ita ut aliquo casu revocari non possit, ut latius ultimo hujus tractatus capite disseram: Tum quod pupillus nihil quidquam, nisi cum conditionem suam meliorem faciat, sine tutore agat, *l. pupillus De auct. tutorum.* Nec obstat *d. l.* 5. quæ decretum prætoris necessarium non dicit, at tutoris consensum autoritatemque non excludit: est enim tutor in re pupillari loco domini, *l.* 11. *Quod vi aut clam. l.* 7. § 3. *Pro empt. l.* 27. *de administ. tutor. l.* 56. §. 4. *De furtis.*

CAP. IX.

DE HIS QVI FEUDVM ACCIPERE POSSUNT.

I. Feudum accipere omnes, qui non prohibentur, possunt. Quin & mulier, & servus, nisi in eorum conditione erretur, *lib.* 2. *tit.* 3. §. *personam.* Minor etiam beneficii capax est: nam etsi fides necessario danda est, & ante annum decimum quartum nemo juret, offertur tamen jusjurandum in maturam ætatem. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *si minori*, legitima autem & idonea ætas Gallis censetur 20. annus. *l. Parisiens. tit.* 1. *l. Aurelianensi tit.* 1.

II. Mo-

II. Monachus quoque & clericus feudum accipit, *c. ex transmissa. 6. X. De foro compet. & Panor. cap. 5. X. De judic.* Zasius tamen parte v. aliter sentit; atq; in eo disputat, monachos solitudini mancipari, 16 *q.* 1. Clericis armorum usu interdici, *c.* 1. *X. de vita & honest. cler.* militantes Deo secularibus negotiis implicari non decere, *can. placuit*, 21. *q.* 3. Denique eo ipso quod arma non capiant, feudum amittere, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *qui clericus.* In quo vir magnus labitur, ejusque sententia apertè refellitur, *lib.* 2. *tit.* 40. *in fine d. c. ex transmissa*, ubi clericus feudum habere potest: nec animadvertit posse eos, qui ad belli munera obeunda inepti sunt, à Domino necessitate præstandorum obsequiorum, si hoc eis indulserit, ut vicaria substituti opera utentes serviant, *lib.* 1. *tit* 24. quo passim jure utimur in Gallia, Nec obstat *tit.* 21. *lib.* 2. nam ibi agitur de feudo militi primum dato militaris industrię caussa, non clerico; cui gratificari dominus ab initio potuit, & Francum feudum, id est, immune concedere: alioqui initium primaq; feudi conditio & lex investituræ primum dicta spectabitur, ut si minus idonei ad bellum, veluti mutus, claudus, cæcus, adversa valetudine impeditus, monachus, & alii, non retineant feudum primæ investituræ caussa, *lib:*

lib. 2. *tit.* 26. *tit* 30. *item tit* 36. *in fin.*

III. Feudum accipere prohibetur, quisquis ſe ad fidem (unde & feudum derivari opinantur) ſacramento obſtringere detrectat, *lib.* 2. *tit.* 3. *in fine.* Item adoptivus relictum à patre civili feudum non accipit, § *adoptivus. d. tit.* 26. *lib.* 2. Adoptivorum jura in ſuccedendo legibus Romanis præſcripta hîc non ſequimur: qui, quamvis legitimis & naturalibus comparentur, plerumq; eorum tamen conditio hîc deterior eſt, & jure Romano quoque in nonnullis articulis, *l.* 42. *De bon. libert. l.* 7. *De bon. damnat. l.* 51. *in fin. De legat* 2. *l.* 76. *De cond. & demon.*

IV. Item ſi nuptiæ contrahantur: ne filii ex eo matrimonio nati patri ab inteſtato ſuccedant vel non ſuccedant in feuda, ſed in allodia tantum & res mobiles, quę pactio jure civili damnata eſt, *l.* 15. C. *de pact. l.* 2. *C. de collat.* Jure Longobardorum & Lege Salica probata, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *filii.* & 29. *de filiis natis ex matrim. ad morganaticam contract.* legendum, *morgegavicam*: vox antiqua Longobardorum, ex duabus conflata, qvarum prior diem matutinum, poſterior donum, quaſi Morgen gab / id eſt, donatio à viro uxori facta ſponſaliorum die, ducta origine à tempore, quo id fit. Græci ὑπόβολον, Latini *donationem propter nuptias* vocant.

V. Le-

V. Legitimi ergo ſuccedunt in allodiis, ſed ex pacto à feudis removentur. Jure civili æqua eſt conditio legitimorum, eorumque qui ante nuptias ſuſcepti ſecuto matrimonio legitimorum jura conſequuntur, *l.* 23. *C. de nupt.* Sed & moribus noſtris, quamvis rara ſit adoptio, non prorſus tamen rejicitur. Nunc obtinuit, ut qui liberos non habet, poſſit in alium transferre feuda ea conditione, ut adoptatus & nomen & inſignia vel ſtemmata ferat. Extat apud Caſſiodor. adoptio facta per arma, *lib.* 2. *epiſt.* 14. *& epiſt.* 2. *lib.* 8. *epiſt.* 1. *&* 9. Deniq; nec pupillus, nec adultus, niſi tutore vel curatore autore feudum capit. Zaſius 5. *parte*, contra ſentit, cui non aſſentior; quia pupillus ſine tutore non obligatur, *l.* 5. *De autho. tut.* nec ad lucrum quidem captandum, §. 2. *De auth. tut.* ne ſcilicet litibus implicetur, *l.* 6. *De minor.* accepto autem feudo naſcitur ad ſervitia ſeu obſequia obligatio: quæ ſi pupillus, ubi adoleverit, non præſtet, feudo privabitur. *tit.* 55. §. 1. *in fine.*

CAP. X.

CAP. X.

QUARUM RERUM FIAT INVESTITURA

I. Universa hæc quæstio decem sequentibus pronunciatis continetur. In primis, quæ res alienari non possunt, in feudum non dantur, *lib. 2. tit. 3. §. sed etiam.* Feudi enim datio alienatio est, quando & id quod minus est, scilicet pignus, servitus, & usus fructus, alienatio recte dicitur, *Novell. 7. & l. ult. C. de reb. alien. non alienan.* Unde rei Ecclesiasticæ investitura nulla est, *l. 14. C. de sacros. eccl.* nisi forte solitæ sint infeudari, *lib. 1. tit. 1. & tit. 6. cap. 2. X. de feud.*

II. Mobilium rerum non fit investitura, *lib. 2. tit. 1. in fine.* nisi immobilium naturam sequantur, ut pensiones, reditus, nummi, panes civiles, tesseræ frumentariæ, *Novell. 7. Clement. exiit: De verb. signif. l. ult. C. de jure dotium.*

III. Occupatum à meo cliente feudum alteri possidendum, citra ejus consensum, dare nequeo, *lib. 1. tit. 9. tit. 22. in fine. tit. 27. in fi. lib. 2. tit. 26. §. moribus. tit. 35. tit. 55 §. præterea ducatus*, qui omnes loci in eandem recidunt sententiam.

IV. Rei communis pars rectè infeudatur, & vasallus consortem domini sui ad divisionem compellit, *lib.* 2. *tit.* 58. §. *item sciendum:* re autem perperam divisa, poterit se læsum conqueri, & XL. annos beneficio adæquationis uti *Alvarot. d.* §. *sciendum.* Quod jus adæquandi profectum quidem est ex Longobardorum legibus, *lib.* 2. *Tit. de præscript. l. si inter fratres.* Sed ejus ratio peti potest à jure Romano. *l.* 17. *C. de collat.* & *l.* 3. *C. com. utriusq; judic.* in qua quod dicitur, perperam factam divisionem in melius reformari oportere, nihil aliud est quam exæquationis inter consortes jus. Male vulgo in eo desiderant læsionem supra dimidium justi pretii, ut in emptione, *l.* 2. *l.* 8. *C. de rescind. vend. c.* 3 *c.* 6 *X. de empt.*

V. Feudum acceptum cliens subinfeudare non prohibetur, si modò sine domini fraude, & consensu accedente id fiat, *lib.* 2. *tit.* 9. & *tit.* 36. partem autem sine domini consensu alienare potest, *lib.* 1. *tit.* 8. sed æquè idoneus & sufficiens est subrogandus, alioqui eum investire dominus non tenebitur,

VI. Contractus beneficiarius non de nostris tantum, sed & de communib. reb. fieri potest, *lib.* 2. *tit.* 58. §. 3.

VII. Sed & rei alienæ investitura fit, *lib.* 2. *tit.* 8. ut & jure civili res aliena vendi & tra-

tradi poteſt, *l.* 28. *l.* 25. §. 1. *De contrah. empt.* Qua in ſpecie, ſi rem alienam eſſe vaſallus reſciverit, ad evictionem, niſi nominatim ea promiſſa ſit, non aget, *arg. l.* 2. *C. de euict.* At ſi ignorat, re evicta dominus, denunciatione ei rectè facta, tenebitur aliud feudum dare, *d. tit.* 8. *d. l.* 18. *ubi notatur.* Idq; æquum eſt, *ex l.* 18. §. *ul. D. de donat.* ne quis falſa beneficii ſpe clientes lactet, nihilq; tradat, quia res evicta in bonis non eſt, *l.* 190. *De reg. jur.*

VIII. Et ſi feudi, quamdiu poſſidetur, pura fieri iuveſtitura nequeat, *lib.* 1. *tit* 9. & *tit.* 26. conditionalis tamen poteſt. Nihil enim vetat, quo minus beneficio, quod à tuo vaſallo adhuc poſſidetur, me ſub conditione inveſtias, vel in diem: qui actus deinde vacante & aperto feudo confirmabitur, *d. tit.* 9. Quod genus inveſtituræ veluti inſidioſum, & nefaria cogitatione alienæque calamitatis exſpectatione plenum, Lateranenſi concilio in ſacerdotiis ſublatum eſt, *c.* 2. & 2. *X. De conceſſ. preben. notat. in l. vlt. C. de pact.*

IX. Inveſtitura non modò novi, ſed & veteris feudi fit, *lib.* 2. *tit.* 3. & 32. quæ *renovatio* appellatur, *gloſſa l. vlt. C. de jure Emphyteu.* Nova inveſtitura eſt, quæ fit cum primum acquiritur feudum, quæ non niſi à

paribus curiæ probari poteſt, *lib. 2. tit 58.* Vetus vero eſt, cum antiqui feudi poſſeſſio redintegratur & renovatur; quod quidem intra annum & diem, ex quo apertum fuerit feudum, petitur, *lib. 2. tit. 24. & 55.* Gallorum moribus inrra 40. dies. *Pariſ. tit. 1. cap. 1. Meldenſium articulo* 124. diverſi temporis ratio videtur, quod Gallorum jure ex clientis mora non ſtatim amittitur feudum, ſed poſſidetur tantum à domino cum fructibus, dum fidelitas præſtetur. Quam diu dormitat dominus, cliens vigilat: contraque dormitante cliente, vigilat dominus: id eſt, alter alterius cauſſæ tuendæ excubat, *Pariſ. art. 4. Meldenſ. 124. Trecenſ. 22. Vigilare*, eſt rem ſuam curare diligenter & augere; *dormire* verò, negligere, *l pen. D. quæ in fraud. cred.* Lotharii vero conſtitutione, negligentia vaſalli, intra annum inveſtituram non petentis, amiſſione feudi mulctatur; æquum eſt igitur eum qui in uno læditur, in alio ſublevari.

CAP. XI.

DE INVESTITURÆ SOLENNIBUS.

Ritus & forma inveſtituræ eſt, ut haſta, fuſtis, annulus, vel quid aliud corporeum à do-

domino clienti porrigatur, idq; præsentibus paribus ejusdem curię vasallis, *lib.* 1. *tit.* 20. *lib.* 2. *tit.* 2. *tit.* 4. *tit.* 51. *in princ.* & § *idcirco*, ut sic traditio beneficii facilius probetur, quibus deficientibus, ad investituræ fidem faciendam, utendum erit elogio seu testimonio investituræ in scriptis celebratæ, quod *breve testatum* dicitur, *d tit.* 2. *d. tit.* 4. Juramentum à vasallo præstitum, *lib.* 2. *tit.* 5. *tit.* 7. *tit.* 55. *in fin. tit. de pace Constant.* §. *vasalli.* cujus forma triplex præscribitur, *lib.* 2. *tit.* 5. *tit.* 6. *tit.* 7. ubi in fin. §. *dominus*, diligenter observandum mutuum clientis & patroni officium, mutua pietas, mutuuum auxilium, de quo & jure civili *l.* 5. §. 1. *De jur. patron. l.* 33. *De bon. liber. l.* 24. *l.* 38. §. 9. *Ad l. Iul. de adult.* ut sit eadem correlativorum natura. *C. de indict. viduit. toll. l. ult. C. de fruct. & lit. expens. l.* 8. *C. de malef. & mathematic.* Illud etiam obiter notandum, quod excipitur *d. tit.* 7. de Imperatore & rege. quia semper antiquior dominus exceptus intelligitur, *lib.* 2. *tit.* 28. §. *ult.* Multo magis Deus exceptus intelligitur in omni promissione generali, ne quid turpe, impium, inhonestum, contra leges bonosve mores promissum juratumve intelligatur, *l.* 7. §. 16. *De pact. l.* 112. §. *ult. De leg.* 1. *l. ult. C. de non numerat. pec. l.* 15. *De cond. instit.* Dari autem

& accipi per procuratorem investitura potest, *lib. 2. tit. 3. §. sed utrum, & tit. 58.* In quo differt feudum ab investitura Emphyteusis, quæ procuratorem non admittit, *l. vlt. C. de jure Emphyt.* Galli quid servent, concepta furmula legitur Meldensium legum, *art.* 124. *tit.* 14. § 1.

CAP. XII.

DE SVCCESSIONE IN FEUDIS.

I. Ascendentes descendentibus in feudo non succedunt, *lib. 2. tit.* 50. Nam si feudum antiquum, quo pacto ad patrem vel auum, à quibus profectum est, mortuo filio vel nepote revolvetur? Si novum, filio sine liberis decedente, ad dominum revertitur, fitq; consolidatio cum dominio. Feudum enim heredum ac descendentium favore ferè conceditur, *lib. 2. tit.* 23. Si tamen pater senio fractus filiorum favore sese feudo abdicarit, & illi sine prole si decedant, feudum à patre abjuratum, id est, refutatum, ad patrem decrepitum, non ad dominum revertitur, *lib. 2. tit.* 14. Refutare hîc dicitur, alibi *finem facere*, alibi *aperire*, Gallice *renoncier*, *lib.* 2 49. Inde profectum illud jus puto

puto, quod nos *Surmuans* dictitamus. Biturigum moribus similiter pro successione habetur donatio vel cessio à patre facta, atq; ob id beneficium paternum remanere intelligitur.

II. Liberi parentibus succedunt, nec agnati ex latere admittuntur, quamdiu supersunt descendentes, in infinitum, *lib. 2. tit. 11.* quod & jure Romano obtinet. *Inst. de hered. ab intest. Novell.* 118. *Vlp. in fragment.* id locum non habet, si pater culpa feudum amitteret; tum enim exclusis descendentibus, ad agnatos, qui quarto gradu sunt, devolvitur, *lib. 2. tit. 26. § licet, vers. si vasallus.*

III. Et feudum regale non migrat in heredem, *lib. 1. tit. 4.* usu tamen & consuetudine impetratum est, ut illa successio admittatur, *lib. 1. tit. 13. in fin.* Qui loci etsi prima specie dissidere videantur, tamen, si exacte examinentur, in altero regulæ exceptionem deprehendemus. Regula est in *d. tit.* 14. Feuda regia & dignitates finiri vita accipientis, nec in his ullo modo heredem succedere, exemplo fructuarii, *l. pen. C. de usufruct.* §. 3. 3. *Inst. de usufruct.* quia principum beneficia personalia sunt, & morte extinguuntur, *l. 1. de constit. princ.* §. 6. §. *vlt. De jur. natural. gen. l.* 191. *De reg. jur.* Exceptio verò est in

d. tit. 13. *in f.* usu impetratum hodie esse, ut successio hujusmodi in feudis admittatur. Lex que successionem inhibebat, hac ratione forte nitebatur, quod cum beneficia ob amicitiam & virtutem ut plurimum conferantur, *l.* 9. *D. pro socio.* & longa sit morum, industriæ ac meritorum differentia, *l.* 31. *De solut.* multum refert Principis quemnam suæ militiæ præficiat, utrum eligatur an nascatur Dux, Comes, Marchio, nec enim filii paternarum virtutum, ut & facultatum, cernunt hereditatem. Sæpe filii heroûm noxæ. Consuetudo verò, quæ postea legem abrogavit, hoc spectasse videtur, ut beneficium patris in heredes propagatum amiciores rei pub. cives redderet, & ad obeunda bellica pericula promptiores, sublato scilicet metu calamitatis, qui in posteros manat, dum hoc cogitant filios sibi in beneficio successuros. Quemadmodum & contra parentes filiorum supplicio à scelere revocantur, *l.* 5. *C. ad l. Iul. majest. l.* 8. *Quod metus caussa, Cic. in quâdam ad Brutum epist. grave est. &c.*

IV. Feudum novum non ritè coram Paribus acceptum ad heredes non transmittitur, *lib.* 1. *tit.* 25. Erant autem Pares curiæ vasalli ejusdem domini, qui & *confraters* nominantur: cujusmodi sunt XII. Franciæ pares, quos *patricios* vocat Budæus *annot. in Pandect.*

& Lu-

& Lucius lib. 3. *tit.* 5. *Placito vlt.* Solebant autem Pares curiæ non modo investituræ adhiberi, sed etiam quoties de feudo erat controversia Pares ipsi judicabant, *c.* 5. *X. de jud. lib.* 2. *tit.* 16. *tit.* 34. *tit.* 54. *& lib.* 1 *tit:* 18.

V. Filius, si per culpam in patrem commissam feudum amiserit, non succedet, *lib.* 2. *tit.* 55.

VI. Denique si patricius est pater, & cum plebeia secunda uxore nuptias contrahens ita pepegerit, ne filii inde suscepti in feudo succedant, tunc prioris thori liberi liberos ex plebeia natos excludunt, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *filii. & tit.* 29. Quod pactum non tam de aliena superstitis hereditate initur, quam lex quædam videri debet à patre dicta suis facultatibus. Et quamvis jure conventio de viventis bonis reprobetur, *l.* 15. 19. *l. vlt. C. de pact.* ideoque Bald. *d. tit.* 29. consuetudine introductum angustissimè observandum asserit Mediolani tantùm, quod mala consuetudo sit corruptela non lex *l.* 2. *C. quæ sit long. consuet. c. vlt X. de consuetud.* mihi videtur deesse caussa idonea, cur liberi aliqui nothi, quibus pater & vitæ autor est, legitimi ab ipso effecti, de paterno judicio conquerantur. Adde, quod pater de sua, non de aliena successione paciscitur. Et quamvis jure civili nemo pacto, sed lege vel testamento

fiat tantum heres: *l.* 130. *De verb. signif.* §. *vlt. Quibus alien. licet vel non.* tamen heredes ex contractu vocari ad successionem, Senatusconsultis probat Papo. *lib.* 20. *tit.* 1. *Arrest.* 14. *tit.* 2. *Arrest.* 1, 2, 3. Idq; Arvernorum Pictonumq; legibus cautum est, & jure pontificio, si jurisjurandi relligio accesserit, *c.* 2. *De pact. X. in* 6.

CAP. XIII.

DIVERSA FILIORVM PARENTIBUS SUCCEDENTIUM GENERA.

I. In multiplici differentia sunt filii primum naturales ac legitimi, filii masculi, justis nuptiis quæsiti, in patris potestate existentes, §. 2. *De patria potest.* Secundo, emancipati, manumissi & soluti patria potestate, §. 9. *De hered. ab intest.* 3. Exheredati, *Tit. de exher. lib. & tit. C. de lib. præter. vel exhær.* 4. Præteriti, *l.* 30. *De lib. & posth.* 5. Adoptivi & arrogati. *Inst. de adopt.* 6. Legitimati. §. *vlt. de nupt. & Novel.* 7. Putativi seu præsumptivi, id est, falso crediti, qui dissimulato nomine in aliquam gentem irrepunt *c.* 10. *De prob. c.* 2. *c.* 14. *Qui filii sint legit.* 8. Liberorum alii sunt mares, alii fæmi-

minæ, *l* 195. *in fin. De verb. signif.* Postremo alii primogeniti, alii postea geniti. de quibus sigillatim dispiciendum est.

II. Filii legitimi ac naturales in patris potestate existentes, patri succedunt, exclusis omnibus agnatis, in feudo æqualiter, id est, ex æquis portionibus; etiamsi ex inæqualibus partibus heredes à patre testamento instituti essent, *lib.* 1. *tit.* 8. *& lib.* 2. *tit.* 1. §. *& quia.* Nam pater inæqualem divisionem inter liberos de feudo, illis dissentientibus, facere non potest, *d. tit.* 8. *in fine.* Nulla ordinatione facta defuncti in feudo valente vel manente, id est, non potest pater testamento mutare, quo minus liberi succedant æqualiter. Si vero in dispari gradu essent, veluti filii & nepotes ex alio filio præmortuo; hi quoq; succedunt cum suis patruis, sed in stirpes, *lib.* 2. *tit.* 11. *De success. fratr.* Moribus Gallorum πρωτοβουλίας seu πρωτοτοκείας, i. primogenituræ jure aliud servatur, & pro liberorum numero variæ portiones inrer fratres fiunt, pro cujusque regionis moribus. *Tit.* 1. *de feud. consuetud. Gallicar.*

III. Sed quoniam diximus non unam esse formam & speciem descendentium liberorum, videamus quinam ad hanc regulam pertineant. Ergò non tantum filii in potestate agentes exclusis agnatis, feudo æqualiter succedunt, *lib.* 1.

lib. 1: *tit.* 1. *&* *tit.* 8. *in verb. æqualiter.* ſed & qui in ſacris patris eſſe deſierunt: ſublata hodie emancipationis ac patriæ poteſtatis (quæ quidem ad patris ſucceſſionem pertinet) di-differentia. *Novell.* 118. *l.* 9. *C. de collat.* Liberi quoq; præteriti & exheredati, jure vel injuria, æquè ſuccedunt, ſi nihil in dominum feudi enormiter peccaverint; cum à domino, non à patre feudum acquiratur, nec patri ſuper feudo ſtatuere aliquid & teſtamento diſponere concedatur, *d. tit.* 8. Adoptivos non ſuccedere palam eſt, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *adoptivus.* niſi vel eos ad ſucceſſionem feudi conſuetudo vocaret, vel antiquum feudum eſſet, ſi adoptati fuerit, idque non ignoret dominus, *notatur d. tit.* 26. §. *naturales.* Cæterum quod illuc aſtruunt interpretes, adoptatum ſucceſſurum, ſi ita à principe arrogetur, ut ſuccedat in feudo, ipſe non probo; tum quod generaliter & indiſtinctè ab hac ſucceſſione excluduntur adoptivi, *d.* §. *adoptivus.* tum quod nihil in patroni & agnatorum perniciem moliri princeps jure poſſit. *l.* 39. *d. adopt.* itaque quod dicitur principum beneficia late explicanda, *l. penult. De conſt. princ. c.* 1. *&* 6. *De donat. c. X* 16. *X. De verb. ſignif.* ſic accipiendum eſt, ſi beneficium totum ſit principis, atque ab illius ſolius liberalitate profectum, nec ad alterius injuri-

am

am pertineat, *d. l. penult.* Si verò de privatorum beneficentia agatur, jus tertii illæſum & illibatum manere debet, *l.* 2. §. 10. *ne quid in loc. pub. l.* 35. *C. de inoff. teſtamen. l.* 42. *De vulg. & pupill. ſubſtit. notavimus, ad tit. C. de diverſ. Reſcript.* Adde, quod nec tam facile ſineque delectu fiebat adoptio, nec niſi hæc quæ ſequuntur, concurrerent. Primum, cauſſæ cognitio *l.* 15. §. *ult. De adopt. & eod. tit. juſt.* Deinde ætatis §. 4. *de adopt. Cic. pro Domo. Seneca lib.* 3. *Controverſ.* ut adoptans plena pubertate, id eſt, XVIII. annis major ſit adoptato, *d. l.* 15. § 4. *in fine.* Tertiò, habenti liberos non licet extraneos adoptare, vel naturales legitimare, *l.* 17. §. 3. *De adopt. l.* 3. *C. de adopt.* ubi *idoneam cauſam*, id eſt, quod liberos non habeas. Julius Firmicus lib. Matheſeos 7. *Ab extraneis adoptati hereditatis titulo patrimonium quæſierunt, ut fiant eorum legibus filii, quibus natura proprios filios denegarat.* In veteri Narbonenſi inſcriptione ita ſcriptum eſt: *Sterilitatis defectu ſine prole feci conjugem, qui ejus opera Adrianum adoptatum in imperio ſucceſſorem habui.* Quarto, iterum adoptantis ætas ſpectatur, ut minor LX. annis non adoptet, ſed liberis potius det operam *d. l.* 15. *& l.* 17. *De adopt.* Quinto, adhibendi ſunt ii in adoptione, quorum intereſt, quiq; eo facto læ-

læderentur, *l.* 39. *de adopt*, Quæ omnia ſi concurrant, adoptivus perinde ac ſi è patre progenitus eſſet, jura naturalis legitimique conſequitur, *l.* 5. *C. de adopt. l. ff. eod. Gell. lib.* 5. *c.* 19. ſed jura naturalia non diſſolvit adoptio, *l. penult. C. d. tit.*

IV. Sequens quæſtio, de filiis extra matrimonium natis, qui non uno modo appellantur, modo *nothi manſeres*, modo *ſpurii*, modo *illegitimi*, modo *naturales*, modo *inceſtuoſi*, *ſcotii*, *Parthenii.* Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 8. Didymus *in lib.* 4 *Iliad. Homeri. Novel.* 74. & 89. Et hi omnes quidem in patria poteſtate non ſunt, quia extra nuptias quæſiti, § 1, *De pat. poteſt.* §. *penult. De nupt.* qui non ſuccedunt patri veteri lege Attica, cujus Scholiaſtes Ariſtophanis meminit. Sed inceſtuoſi ex illicito & damnato complexu nati, deterrimæ ſunt conditionis, *Auth. ex complexu. C. de inceſt. nuptiis.* quia nec matri, nec patri ſuccedunt: quamvis ii qui *ſpurii* dicuntur, matre libera, ſed incerto patre orti, matri quadamtenus ſuccedunt, qui ideo *ſpurii* dicuntur, id eſt, vulgò concepti, quaſi S. P. *ſine patre*, autore Plutarcho; qui patrem demonſtrare non poſſunt; matre tamen certa editi, vel concubina vel nobili fæmina, teſte Seneca, Pomponio, & Iſidoro. Male enim Alciat. *lib.* 4. *c.* 5. *Parerg.* Ha-

Haloander in *Novell.* existimant, eos tantum nothos à Iustiniano vocari *Novell.* 89. qui ex concubina nascuntur. Nam etiam eos intelligit, qui gignuntur ex ancilla; quod patet ex ea parte, in qua tractatur, quomodo offerens se curiæ legitimus fiat: cum ancilla non possit esse concubina. Ergo nothi nomen generale, *d. c.* 8. sicut & naturalis, *l.* 5. *De præscript. verb. l. vlt. qui sunt sui vel alieni jur. Cajus lib.* 1. *Inst. Harmenopul. lib.* 5. *tit.* 8. *l.* 35. *De vulg. & pupil. subst.* Naturales succedunt matri jure civili, §. 3. *Inst. de S. C. Orficia.* Hoc jure tamen bastardi seu nothi heredes non sunt clienti beneficiario, & excluduntur à beneficio, *l.* 5. *C. ad S. C. Orfic.* ratio est, ut ab illicita Venere homines ad honestatem nuptiarum allicentur. Hoc ita nisi legitimati, id est, natalibus restituti fuerint; quod olim quatuor fiebat modis: scilicet, per nominationem filii testamentariam, per oblationem curiæ, per subsequens matrimonium, & rescriptum principis. *N.* 74. *N.* 89. Duo priores hodie exoleverunt, posteriores in usu sunt. Nam nothus à patre oblatus principi, vitiosi ortus maculam repurgat, & in feudo postea acquisito succedit, non autem in antea acquisito, *d. tit.* 26. §. *naturales*, cum de illis consensisse videri non possit dominus,

cum

cum primum feudum concederet, *arg. l.* 51. §. 1. *De leg.* 2. cujus legitimationis elegans exſtat formula apud Petrum de Vineis, *lib.* 6. *c.* 16. ex qua obiter ſumma notanda ſunt, primo verſ. *omnia jura legitima reſtituimus*; ut tanquam legitimi & legitimo thoro nati ſuccedant; nam alioqui non ſuccederent, ut ſupra diximus. Secundo verſ. *quæ feudalia non exiſtunt*; quia naturales filii, licèt poſtea fiant legitimi, in feudis antiquis non ſuccedunt, *d.* §. *naturales.* Tertio, ex verſ. *Et ad omnes actus publicos, & civiles honores admittantur*, à quibus ſcilicet excluderentur, *l.* 6. *De Decurion:* Quarto, ex verſ. *objectione prolis illicitæ in poſterum quieſcente*; nam nothum jam reſtitutum natalibus, conviciandi animo non licet laceſſere; & is qui infamandi cauſſa nothum vocaverit, actione injuriarum tenebitur: quamvis qui meretricem, meretricem vocat, nothum nothum, quia quod obiicit verum eſt, injuriarnm non tenetur, *l.* 18. *De injuriis*, *l.* 5. *C. eod. Pap. lib.* 8. *tit.* 3. *Arreſſ.* Nothum nominare non peræque apud omnes gentes infamiæ fuiſſe, notat Euſtathius *in Homer. Iliad.* 8. Quinto, ex verſ. *Ita tamen quod viceſimam partem proventuum omnium bonorum, quæ prædictæ legitimationis beneficio ad eoſdem pervenerint, ſingulis annis reddant curiæ noſtræ, ad recognitionem*

nem gratiæ, quam iis ſuper hoc duximus indulgendam. non ergo gratis princeps concedit legitimationem, ſed accepta vigeſima parte, reliquum nothi. Simile quoddam in manumiſſione ſervorum ſervabatur, *l.* 1. *C. de vectigal.* & Arrianus apud Epictetum, *lib.* 2. *cap.* 1. εἰκοστὴν, id iſt, viceſimam vocat. Gallici reges eo nomine aliquid, ſed longè minus, ſibi ſumunt.

V. At quid ſi per ſubſequens matrimonium legitimetur filius, *ut c.* 6. *X. qui fil. ſint legit.* Omnes ad unum, & Zaſius 8. *parte*, ſucceſſurum putant. Ego vero idem quod in ſuperiore ſpecie ſtatuo, aioq; textum, *d.* §. *naturales*, generaliter conceptum, miſerè detortum in anguſtias coactum ab interpretibus fuiſſe: qui lege non diſtinguente diſtinguere non debuerunt, *l.* 8. *De Public. in rem act.* Nec obſtat *d. c.* 6. ubi omnis natalium labes ſecutis nuptiis eluitur & purgatur: ſed non ideo, quando fiunt legitimi, protinus ſuccedunt feudo. ut nec recte colligitur; adoptivum eſſe legitimum filium, ergo ſuccedere feudo. Utrumque enim falſum eſt, *d.* §. *adoptivum d.* §. *naturales.* reſtituti natalibus omnia quidem legitimorum jura conſequuntur, ut & adoptivi: ſed ſingulare eſt in feudo, ut non ſuccedant, & in hoc generi per ſpeciem derogatur, *l.* 80. *De reg. jur.*

 VI. Ju-

VI. Jure civili filiæ cum filiis æqualiter ad ſucceſſionem parentum vocantur, ut qui fæminas à maribus ſecernit, naturæ opificium accuſare Iuſtiniano videatur, *l.* 4. *C. de lib. præt. & exher.* Hoc jure non ſuccedunt fæminæ, niſi nominatim id caveatur, *lib.* 1. *tit.* 1. §. *hoc autem notandum*, *tit.* 8. §. *filia. lib.* 2. *tit.* 11. §. *ad filias.* At naturam accuſat, qui à mare fæminam in ſucceſſione diſtinguit. *d. l.* 4. *& novella* 118. delectum filiorum filiarumque & ſexus diſcrimen ſuſtulit Iuſtinianus. Sed feuda ſunt virilia, nec in imbecilles fæminas cadunt, tum propter animi imbecillitatem, tum quod cœtibus virorum eas intereſſe dedeceat, *l.* 9. *De ſtatu hominum*, *l.* 2. *De reg. jur. l.* 1. *De poſtulando*, *l.* 5. *C. de adopt.* Cato apud. Livium de leg. Oppia: *Majores noſtri*, inquit, *nullam rem, ne privatam quidem agere fæminas ſine autore voluerunt, ideoque in manu eſſe parentum, & fratrum, virorumque.* Adde quod vaſallus judicat inter pares ejusdem curiæ, *l.* 2. *tit.* 16. *&* 46. at mulier à judicandi munere arcetur, *d. l.* 2. *De reg. jur. l.* 12. *De judic. l. ult. C. de arbitr.* ergo in feudo non ſuccedit. Rurſus, arcana domini celanda ſunt, & ad id ſe cliens jurejurando aſtringit, *lib.* 2. *tit.* 6. At levitas illius ſexus etiam jure notata eſt, *c.* 10. *X. de verb. ſignif. l.* 1. *ff. ad S. C. Velleia.* Et pro-

proverbio nobilitata, *Mulieri ne mortuæ quidem fidas. Eraſ.* notumque eſt Papirii Prætextati matris exemplum ex Gellio, Valerio, & Bal. *in l.* 12. *C. de ſuis & legit. hered.* Denique mulieres à viris defendi oportet, non à mulieribus viros. Nam ut Semiramis, aut Camilla, aut Pentheſilea Vergiliana, & Johanna Dertrea Aurelianenſis obſidionis liberatrix, & hujuſmodi viragines reperiantur, ut ſapientes & conſtantes plerumque ſint, vitium noſtræ regulæ non adferunt: cum leges de iis quæ ut plurimum fiant, non quæ raro accidunt, ferantur, *l.* 3. *Si pars hered. petat. l.* 3. 4. 5. 6. *De legib.* His opinor rationum fundamentis nititur lex Salica, Voconia, & Feudalis, quæ mulierum in feudi ſucceſſione deteriorem conditionem effecit. Iuſtiniani ſententia de bonis allodialibus accipi debet, non de feudis, quæ ea ætate adhuc ignota erant.

VII. Putativos, de quibus *in c.* 2. *c.* 14. *X. qui fil. ſint legitimi*, ſi publico civitatis aut viciniæ errore habeantur, ſuccedere in confeſſo eſt, *l.* 6. *de his qui ſunt ſui vel alieni juris.* maxime ſi pater materve de prole non dubitent: aliàs ſecus, *argum l.* 83. *De cond. & demonſt.* Quam legem de filio ex concubina, non ex matre familias nato, accipiendam eſſe, probo *lib.* 2. *Selectorum*.

VIII. In hermaphrodito potentior ſexus ſpectabitur, ſi controverſia ſit, Androgynus ſit mas aut fæmina, *l.* 10. *De ſtatu hominum*, *l.* 15. §. 1. *De teſt.* Clemens Alexandrinus negat ullos eſſe hermaphroditos, *lib.* 3. *cap* 10. *Pædagog.* quorum meminit Plato, Plinius, & nos hiſce oculis vidimus.

IX. Poſtremo muti, ſurdi, propter utriuſque cognationem communi à Græcis nomine, κωφοὶ dicuntur, aut aliàs impediti ſuccedunt non ſolum in Gallia, ubi feuda ad inſtar patrimoniorum redacta ſunt, ſed etiam veteri jure Longobard. *lib.* 2. *tit.* 36. ſi modò non ſunt planè inutiles, & deploratæ à medicis valetudinis, *lib.* 1. *tit.* 6. *in fin.* & hac diſtinctione eos locos alioqui in ſpecie pugnantes conciliamus.

CAP. XIV.

DE SVCCESSIONE COLLATERALIUM IN FEUDO ſuccedentium, tertius locus, qui XIII. regulis concludetur

I. In feudo nouo nec frater fratri ſuccedit, nec ullus alius collateralis alteri, etiam ſi ambo una inveſtitura feudum acceperint; ni-

niſi pacto id caveatur, ut invicem ſuccedant, *lib:* 1. *tit:* 14. § *ſi duo: tit:* 20. *lib:* 2. *tit:* 11. 12. 14. niſi feudum utriuſque nomine alterius pecunia, vel ſimpliciter communi ematur, domino ſciente; vel ſimul procincti in hoſtem invadentes, adepti ſunt, quaſi *συναποθνησκόντων*, *commorientium* fœdus percuſſerint, ut in *l:* 19. *C. de pact:* In Gallia nihil opus eſt pacto, nec domini conſenſu, *de quo d: tit:* 12. ſed deficientibus deſcendentibus mutua fratrum ſucceſſio in feudis recepta eſt, perinde ac in cæteris bonis allodialibus.

II. In feudo antiquo ſeu paterno nullis exiſtentibus liberis deſcendentibus, ſucceſſio ad proximos agnatos devolvitur, id eſt, ad eos qui ex primo ſtipite primoque acquirente orti ſunt, *l:* 2. *tit:* 11. *verſ: quod ita intelligendum eſt.*

III. Defuncto nullos heredes relinquente, fratres utrinque conjuncti ſuccedunt in feudo æqualiter, *d. tit:* 11. *verſ: his deficientibus.* Galli licèt primogenituram plurimi faciant, æquales tamen ſucceſſionis portiones in tranſverſali linea faciunt, *Pariſ: tit:* 1. §. 20. *Aurelior: tit:* 16. §. 1. *in fin.* cui tamen loco refagari videtur *tit:* 1. §. 45. qui nec conciliatus nec animadverſus eſt à Pyrrho Aurelianenſ: Conſuetudinum interprete.

IV. Si ſint fratres utrinque conjuncti, &

ſimul fratres ex uno tantum latere, æque in feudo maſculino eos ſuccedere cenſent, *DD.* & *Alvarot: d. tit:* 11. quibus ſubſcripſit Zaſius 8. *parte*, *in fin.* quod quidem falſum exiſtimo, & contrarium juris civilis præceptis, quibus in decidenda feudali quæſtione, ſi forte his libris prætermiſſa ſit, utimur, *lib:* 2. *tit:* 1. atque jure noviſſimo fratres utrimque conjuncti fratrem ex altero tantum latere conjunctium excludunt, *Novell:* 118. *c:* 3. Quamvis lege Pariſiorum æqualiter ſuccedant in rebus mobilibus & rebus quæſitis.

V. Si fratre mortuo ſuperſint fratres & fratrum filii, qui vulgo nepotes, hi cum patruis vel avunculis ſuccedunt in ſtirpes, jure feudali & Iuſtiniani privilegio, licèt inæquali gradu ſint, *d. Novell:* 118. *d. tit:* 11. §. *his deficientibus.* olim enim frater ſuccedebat fratri, excluſo nepote ſeu fratris filio, §. 5. *De legit: agnat: ſucceſſ:* Idque jure Gallico obtinet; *L'oncle excludt le neveu.*

VI. Si moritur qui reliquit ſolum fratrum filios & patruum, iſto caſu licèt omnes iſti ſint defuncto in gradu æquali, nempe tertio, tamen iſti filii fratrum excludent magnum patruum ſuum, id eſt, patruum defuncti, *d.* §. *fin autem*, *verſ. illud palam*, *d. Novell:* 118. & *lib:* 1. *tit:* 50.

VII. Fratrum filii per ſe ſuccedunt patruo

in

in ſtirpes, non in capita, ſecundum jus commune; quod ſequimur quoties propria deciſione jure municipali deficimur, *lib*: 2. *tit*: 1. *d. Novell.* 118. Quod olim vehementer controverſum inter Azonem, Accurſium, Salicetum & Zaſium, tandem deciſum à ſenatu Pariſienſi, teſte Lucio, *lib*: 8: *tit*: 10. *Arreſt*: 5. *& Pap*: *lib*: 21. *tit*: 1. *Arreſt*: 10. 11. 12. Eadem agitata eſt controverſia in conventibus Imperii Spiræ habitis, ut refert *Cantiuncula* §. *vlt*: *De hered*: *qui ab inteſt.* In ſtirpes ſuccedere eſt, cum non ſinguli ſingulas & æquas hereditatis portiones ferunt, ſed plures unius perſonæ vice functi, unam tantum portionem ferunt, eam nempe quam pater ſi viveret, habiturus eſſet, *Vlp*: *in fragmentis. tit*: 26. In capita ſuccedere, eſt in viriles ſeu æquales portiones ſuccedere ex numero perſonarum, κατὰ τῶν προσώπων ἀριθμόν, *d. Novell*: 118.

VIII. Nepotes fratrum, id eſt, filii filiorum fratrum patruo magno qui ſuccedunt, in capita, *d. Novell*: 118. Unde ſumpta eſt *Authen: poſt fratres. C. de legitimis hered: Vlp: d. tit:* 26. §. *agnatorum*, *Harmenop: lib:* 5. Jure patruum magnum excludunt, licèt eodem gradu ſint, *lib:* 2. *tit:* 50. §. *paterneum.* Quos tamen jus civile ſimul admittebat, §. 4. *I. d. legit: agn: ſucc.*

IX. A proximioribus post fratrum filios, remotiores excluduntur, *d §. si vero, & §. hujusmodi.*

X. Muti, surdi, morbo desperato impediti, agnato non succedunt, nec in feudo quidem paterno seu antiquo; inopibus tamen nonnihil ex illo datur, quo se exhibere & alere possint, *lib:* 1. *tit:* 6. *in fin. lib:* 2. *tit:* 26.

XI. In clericis ac monachis idem servatur, *lib.* 2. *tit:* 21. & 36. nisi in investitura actum sit ut succedant. quo pertinet mos Gallicus vicarii vasalli, quem *Pollucem* & *Castorem* vocant; quia collegia & ecclesiæ nunquam moriuntur, sed substitutionis beneficio perpetuo funguntur, *l:* 76 *De judic.*

XII. Deficientibus legitimis & suis heredibus, feudum ad dominum revertitur: quin & mutua conjugum successio, (licèt jure civili probata, *tit: unde vir & uxor.*) in feudo exclusa est, *l:* 1. *tit:* 15.

XIII. Denique fæminæ non succedunt in feudo, *lib:* 1. *tit:* 1. §. *hoc autem:* & *tit:* 8. §. *filia lib:* 2. *tit:* 11. *ad filias*, cujus rei quadruplicem supra attulimus rationem.

Sed hoc tribus casibus non obtinet. Primum, si feudum fæmininum sit, *lib:* 2. *tit:* 30. Deinde, si dominus filiam vasalli investiat in in gratiam paternorum obsequiorum. *Lib:* 1. *tit:* 24. nihil enim vetat quominus propter

pa-

patris clientis benemerita filiæ remittatur obligatio ſervitiorum, *l:* 2. *tit:* 2. *in fin.* Poſtremo, ſi dominus feudum conceſſerit vaſallo, ejuſque heredibus maſculis pariter ac fæminis, tum deficientibus maribus, fæminæ ex pacto ſuccedunt, *d.* §. *filia*, *d.* §. *hoc autem.* *d.* §. *ad filias.*

XIV. Si tamen filius & filia clienti naſceretur, hæc ab illo excluderetur, *lib.* 1. *tit.* 6. *quin etiam.* Excluſa autem ſemel mulierе, omnis ab ipſa orta proles cujuſque ſexus, in perpetuum à feudo obtinendo excluditur; quaſi ſublato antecedente corruat ſubſequens. Probat. *l.* 1. *de offic. ejus cui mand. eſt juriſd. l.* 129. §. 1. *De reg. jur.* Quid ſi nullis relictis liberis, filius vaſalli patris obitum mox ſequatur? & ſororem admitti placet nec feudum ad dominum reverti quaſi qui ſubitò extinctus ſit, omnino non vixiſſe videatur, *c.* 3. *X de verb. ſignif. gloſſ. in l.* 18. *C. De jur. deliberand.* nec eſſe videtur quandiu non durat, *l.* 10. §. 7. *De in rem verſo*, *l.* 48. *De reg. jur.* Nec obſtat *l.* 1. *&* 2. *C. de poſth.* illic enim odio præteritionis iniquæ momentum temporis ſcriptis heredibus nocet, ita ut poſthumus natus & illico mortuus, paternum rumpat teſtamentum.

XV. Illud pro Colophone adiiciendum eſt, filios deſcendentes feudum non poſſe accepta-

re, repudiata patris hereditate: collateralibus verò feudo contentis, jus esse abstinendi hereditatem agnatorum, *l. 2. tit.* 45. Ratio differentiæ est, quod filii strictius obligentur patri quam cognati, transversales heredes, *l. vlt. C. de impub. & aliis subst.* §. 1. 2. *Inst. de hered. qualit. & differentia*, *l.* 11. *De lib. & posth.* Hactenus de tribus acquirendi feudi modis.

CAP. XV.

DE FEUDI RETENTIONE ET USU.

Feudum iisdem fere artibus, quibus ab initio partum est, retinemus; & utimur, si & dominus à vasallo consequatur, & hic ab illo habeat, quæ oportet; quæque vel natura feudi vel conventionis placito nuncupata sunt, observentur; & ea non fiant, propter quæ feudum amittitur. Atque hoc caput in duos præcipuè articulos deducitur: Quid vasallus ex investitura fructus habeat, quid dominus. Itaque clientem hæc commoda sequuntur.

Cap. XVI.

DE COMMODO QUOD VASALLUS EX FEUdo accipit.

Articulus I.

I. Primum, ut fidem dedit, ſtatim realiter à domino in poſſeſſionem mittendus eſt, *lib.* 2. *tit.* 7. nec domini mora aut fruſtratio impunita eſt, nec ille præſtatione ejus quod intereſt, liberabitur. Sed cum inveſtitura in dando conſiſtat, præciſam neceſſitatem habet, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *ſi facta l.* 72. *in fin. De verb. oblig.* Quamvis in meri facti obligationibus ſuccedat id quod intereſt, *l.* 13. *in fin. De re judic. l.* 72. *verſ. Celſus, De verb. oblig.*

II. Unde vaſallus *utile* (quod vocant) *dominium* accquirit, cujus nomine quaſi rei vindicatione contra quemlibet poſſeſſorem, etiam contra dominum ipſum, experitur. *lib.* 2. *tit.* 8. §. *rei, arg. lib.* 1. *ſi ager vectig.*

III. Imo ſi prædio beneficiario evicto litem vaſallus domino denunciarit, dominus ei aliud æquè bonum feudum reſtituet, *d. tit.* 8. §. 1. & nos ſuperiori capite, cum de alienæ rei inveſtitura ageremus, attigimus.

IV. Sed nec vaſallum dominus abſq; cauſſa eii-

ejicit, *lib.* 1. *tit.* 21. nec eo diſſentiente feudum diſtrahet, *lib.* 2. *tit.* 34. §. *ex eadem* & cum jus patronatus ſit perſonale, *l.* 26. §. 12. *verſ. ſed ſi delegatus*, *De cond. indeb. l.* 8. *De aſſig. libert l.* 7. *l.* 1. *De obſeq. à liber.* & *l.* 7. *C. de oper. libert* placet ut libertos, ita vaſallos à patrono invitos mutari & alienari non poſſe. *Molyn. tit.* 1 *ll. Pariſienſ.* niſi forte cum univerſitate transferat, *arg. l.* 62. *De acq. rer. dom.*

V. Ex omni cauſſa ex qua vaſallus feudum amitteret, ex eadem feudi dominus proprietatem ipſe amittet, propter ſcilicet æqualitatis regulam quæ inter eos religiosè ſervanda eſt: adeo ut nec ſeſe invicem accuſare, nec ſeſe mutuo teſtimonio lædere poſſint, *lib.* 2. *tit* 6. *in fin. tit.* 16. § *domino. tit.* 33. §. *in quibus tit.* 34. §. *ex eadem*, & *tit.* 47.

VI. Hoc etiam juris habet vaſallus, ut in cauſſis feudalibus judicet, *lib.* 1. *tit.* 18. *lib.* 2. *tit.* 16. *tit.* 34. 39. 46. & 55. Hinc apud Gallos *Pares curiæ*, id eſt, XII. regni proceres vaſalli de ſuis controverſiis inter ſeſe ipſi diſceptant & decidunt, *Lucius lib.* 4. *tit.* 5. *placito ult.* Hinc & fæminæ ex feudo juriſdictionem habent, licet alioqui à judiciis removeantur, *l* 2. *De reg. jur.* hinc etſi clerici coram judice eccleſiaſtico conveniantur, nec alibi, *c.* 12. *X. de foro competenti.* ſi tamen feu-

feudum poſſideant, ad Laicorum judicum tribunalia vocabuntur, *c. 5. X. De jud.*

VII. Feudum ejusve partem invito domino ſubinfeudare cliens poteſt, modo non deteriorem domini conditionem faciat, ſi videlicet æque idoneum vaſallum ſibi ſufficientem ſubſtituendum offerat, *d. tit.* 34. §. *ſimilter:* tamen alienare non poteſt, *lib.* 2. *tit.* 38.

VIII. Quin & feudum refutare, id eſt, deſerere & abjurare poteſt agnatis, vel ipſi domino, cui non eſt adeò addictus, ut non poſſit beneficium abdicando ſeſe fide data ſolvere ac liberare, *d. tit.* 38. *in fin. & ſequent.*

IX. Poſtremo vaſallus omnes rei beneficiariæ fructus, etiam pendentes, natos poſt Calendas Martias uſq; ad Auguſtum, ita ſuos facit, ut de iis diſponere & ad heredes tranſmittere poſſit; etiam ſi feudum ad dominum reverteretur, ut ſi novum feudum, & cliens ſine liberis decederet, *lib.* 2. *tit.* 28. §. *penult.* At vaſallus fructuario comparatur, *lib.* 2. *tit.* 23. *in fine*; fructus autem pendentes necdum collectos, ſed ſolo cohærentes fructuarius non lucratur, nec ad heredes tranſmittit, *l.* 47. *De uſufr.* §. 36. *Inſt. De rer. diuiſ.* Sané etſi aliqua ſimilitudine conjungantur, *d. tit.* 23. *in fin.* conditionem tamen vaſalli meliorem

rem esse constat, ut qui utile dominium habeat, *tit.* 28. *lib.* 2. cum fructuarius vix naturalem possessionem habeat, *l.* 12. *De acq. possess.* & ususfructus morte utentis extinguatur, *l. penult. C. de usufruct.* §. 3. *Inst. eod. d.* §. 36. feudum autem ad heredes transeat vasalli, *d. tit.* 23. & nos supra ostendimus.

CAP. XVII.

DE COMMODO QVOD DOMINUS EX FEUdo percipit.

ARTICULUS, II.

I. (1.) Dominus autem pro feudo dato hæc consequitur. Primum, fidelitatem, de qua *lib.* 2. *tit.* 4. 5. 6 & 7. cujus formulam supra exposuimus. Quo autem tempore petenda sit investitura, & fides juranda, nonnihil etiam supra attigimus. Illud adiiciendum est, in feudo novo nullum vasallo terminum præscriptum ad fidem præstandam. Si tamen citatus à domino, vel Paribus curiæ, mox sese non sistat; feudo privabitur, *lib.* 2. *tit.* 24. §. 1. In feudo antiquo militem à pagano seu plebeio distinguimus: hic intra annum & & diem, ille intra annum & mensem renovatio-

vationem inveſtituræ & fidelitatis petere debet, *lib.* 1. *tit.* 22. *in princ.* apud Gallos varia in eo quidem tempora præſtituuntur, ſed pœna levior, quâ fructuum damnum negligenti & cunctancti vaſallo irrogatur.

II. Plures heredes vaſalli mortui, ſi feudum non ſit diviſum, jurabunt; unus tantum ſerviet. Si verò diviſum, is ſolus ad quem pervenerit feudum, jurabit & ſerviet, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *omnes.* Vaſallus enim ejuſdem feudi nomine plures dominos agnoſcere non tenetur, *lib.* 2. *tit.* 55. § *præterea.*

III. Domino, pluribus heredibus relictis, decedente, ſingulis ſeorſim fides præſtabitur, *d. lib.* 1. *tit.* 22. & *lib.* 2. *tit.* 17. niſi vaſallus domino & heredibus copulative antea juraſſet, iterum jurare non cogetur, *c. veritas. X. de jurejurand.* uni tamen, quem heredes ipſi ex ſeſe delegerint, ſerviet vaſallus, *d.* § *præterea*, *arg. l.* 2. *De exerc. act. l.* 34. *d. uſuf. arg.* § 3. *De legat. l. vlt. C. comm. de legat.* quæ variè apud Gallos obſervantur.

IV. Inderdum autem à fide intra tempus lege præſcriptum, non præſtita, vaſallus excuſatur, ſi legitima ſubſit cauſſa, ut abſentiæ, ignorantiæ, mortis inſperatæ, capitalis odii, itineris periculoſi, *d. tit.* 22. *d.* §. 1. *lib.* 2. *tit.* 24. §. *pen. tit.* 26. §. *vaſalli, de pace Conſtant. l.* 42. *De reg. jur.*

V. (2.) Præterea dominum adjuvare tenetur vaſallus: ſed ita ſi dominus officium flagitet; nec enim aliter vaſallus ad obſequia tenetur, quam ſi ejus opem imploret; dominus autem in gravi diſcrimine verſetur, idque vaſallus compertum habeat, *d. tit.* 26. §. *licet. lib.* 2. *tit.* 37. *in fin.* Imo ſi cauſſam injuſtam foveat dominus, obſequi vaſallus non tenetur: & bellum finitimis populis temerè inferentem vel invitum ſuſcipientem, dominum impunè deſeret. In dubio tamen corpus domini tuebitur, non alium impetet, eique injurius erit, *lib.* 2. *tit.* 28. *in fin.* dominum autem in prælio vel in acie periclitantem uſque eo comitabitur comes vaſallus, dum mortuus ſit aut lethaliter vulneratus, *lib.* 1. *tit.* 5. Lethale autem vulnus ex medendi præceptis cognoſcetur, adhibitis in arte peritis, quorum renunciationi fides habetur, *l.* 1. *De vent. inſpic. c. ex liberis. X De frigid. & malef.*

VI. Quid ſi aufugerit cliens, dominumque deſeruerit, qui tamen diſcrimine ſe liberavit, nec ei ignavia vaſalli obfuit? Exiſtimo, fugam puniendam eſſe, *l.* 3. *De re milit.* Zaſius 10. *parte*, contra ſentit; ſed perperam: quia ſola fuga ſufficit, ut feudum committatur, *d. tit.* 5. *in princ.* quia fuga aliis ignaviæ exemplo eſt, *l.* 6. §. 3. *De re militari. Iuſti-*

nian. militarium leg. cap. 28. *Dionyſ. Halicar. lib.* 9. *Antiquit. Diod. Sicul. lib.* 12. *Harmenop. lib.* 1. *tit.* 26. Adde quod non tantum exitus rerum, ſed & conſilia legibus vindicantur, *d. l.* 3. §. 15. *De re milit. Cic. pro Milon.* Verum ſi vaſallus tot vulnera acceperit, ut domino auxilio eſſe nequeat, aut niſi mature decedat, non procul abſit ab immimentis mortis periculo; jure aufugiet, ſuamque ſalutem domini incolumitati anteponet: etſi id ipſum in ſervis jura non patiantur, *lib.* 1. *tit.* 5. *tit.* 21. *in fin. in verbo, potuerit, l.* 1. §. 28. *ad S. C. Syll.*

VII. Nunc videamus contra quos teneatur vaſallus defendere dominum? contra omnes, etiam fratrem, filium, & patrem, *lib.* 1. *tit.* 28. *in fin.* Quod mihi durius videtur, & humanitatis conciliatrici naturæ adverſum. Nec oportet ad rem ita attentos eſſe homines, ut generali ſacramenti formula ſe obſtringi patiantur, ut omnibus adverſentur, etiam iis, quos naturæ pietas & ſanguinis neceſſitudo ſociavit. Nec juramentum debet eſſe vinculum iniquitatis, *c. non eſt obligatorium. X. De reg. jur. in* 6. *cap.* 2. *X. De pactis, in* 6. *c. cum contingat. c. quanto. X. De jurejurand. cap. inter,* 22. *q.* 4. Non aderit cliens patrono contra dominum antiquiorem, *d. tit.* 28. non contra patriam, *tit. de pace Conſt.*

§. *vasalli*, *arg l.* 35. *De relig. & sumpt. fun.* Denique non contra se ipsum: quia pietas rectè instituta incipit à se, *can. si non licet*, 23. *q.* 5. Et in omni generali oratione persona loquentis excipitur, *l.* 18. *C. de solut.* *l.* 30. *in fin D. locat. l.* 40. *in fin. D. de cond. & demonst. c. petitio. X. De jurejur.*

VIII. De sumptibus ambigitur. Sane si instrumento investituræ actum est, vel consuetudine receptum, quibus sumptibus vasallus dominum juvet, res expedita est. Id enim sequimur, quod dictat consuetudo, vel pacto conventum est, *l.* 32. *De leg. l.* 1. §. 6. *Depositi.* Quod si non sit definitum, & feudum opimum est, humanius est, ut gratis serviat *arg. l.* 18. *De oper. libert. Spec. tit. de feud.* §. *quoniam. vers.* 22. At si tenue feudum sit, sumptus à domino præberi Zasius 7. parte probat, maxime si extra territorium pergendum est, *lib.* 2. *tit.* 40. *arg. l.* 17. *C. de Erog. milit. annonæ.*

VIII. Dominum feudi vasallus an alere, & mersum ære alieno, aut in vincula conjectum liberare tenetur? Id DD. omnes uno ore negant, & est text. *in lib.* 2. *tit.* 26. §. *licet*, *in fin.* ut mihi ridicula videantur Zasii, 7. *parte*, & Hostiensis *in summa de immunitate eccles.* & *Spec. in d.* §. *quoniam*, cæterorumque sententia, astruentium filiam domini à cliente dotandam. Alioqui melior esset filiæ

con-

conditio, quæ ex dote ipsa aleretur, quam patris, cui famelico à cliente alimenta denegari possent: quod esset absurdum, ne effectus sit potentior sua caussa. contra *l.* I. *De off. ejus cui mand. est jurisd.* Id verò nusquam legibus cautum invenies, nam quod ex *Halicarnas. lib.* 2. *Antiquitat.* idem Zasius protulit de clientis & vasalli similitudine, nos etiam in præfatione confutavimus, & ad hoc jus non pertinere ostendimus. Non obstat *epistola* 16. *lib.* 5. *Petri de Vineis* Cancellarii Frederici II. Imper. nam quod illic Campanis pecuniam in filiæ dotem Imperator dari jussit, regni jus est, vers. *Regni nostri Siciliæ*, vers. *de mandato*, vers. *Iustitiariis*, vers. *regnicolis.* Quod ad privatos trahi non debet, nisi, ut placet *Fabro*, §. *æquæ*, *de actionibus.* vel in id consentiant omnes, vel diuturna consuetudine id invaluerit. *Vide Paponem lib.* 13. *tit.* 3. *Arrest.* 2. 3. *&* 4.

IX. (3.) Vasallus hoc domino debet, ut eum nec accuset, nec testimonio lædat, nec ad juramentum calumniæ præstandum adigat, nec interdicto unde vi in eum experiatur: denique simplicem actionem, non qua domini, cui parendum est, existimationem minuat, intendat, *l.* 2. *tit.* 33. §. *in quibus gloss. & textus*, *lib.* 2. *tit.* 22. *arg. l.* 1. §. 43. *de vi aut vi armata.*

X. (4.) Sed & feud ideteriorem conditionem facere vasallus non potest, *lib. 2. tit. 6. §. ex contrario.*

XI. (5.) Postremo hoc debet cliens domino, ut, etiam feudo abdicato, eum nihilominus colat & observet, *l. 2. tit.* 38. ne pristini beneficii memoriam animo delevisse videatur. Extant enim adhuc impressa quænim vestigia & reliquiæ pristinæ necessitudis, ac amicitiæ reciprocæ. *gloss. aurea, d. tit.* 28. *in verbo, non debet.*

CAP. XVIII.

DE FEVDO AMITTENDO

I. Tribus potissimum modis amittitur feudum *casu* videlicet, *voluntate*, & *culpa*, de quibus sigillatim dicemus.

II. *Casu* amittitur, si fortuito beneficiarius mutus surdusve fiat, aut alioqui minus idoneus officio, cujus gratia beneficium ab initio collatum fuit, *lib. 1. tit. 6. in fin. lib. 2. tit.* 21. *& tit.* 36. Si enim non serviat vasallus domino, feudum condicetur & repetetur, *lib. 2. tit.* 24. Sanè moribus Gallorum defectus vel vitium corporis vel animi feudum clienti non adimit, cui per vicarium militem ser-

ſervire licet, *Fab. lib.* 1. *de legit. patr. tut. Inſtit.*

III. Caſu quoque beneficium amittere intelligitur, qui nullos liberos vel agnatos reliquerit; tunc enim feudum eſt apertum, & ad dominum revertitur, *lib.* 1. *tit.* 7. & 8. & *lib.* 2. *tit.* 28. §. *penult.* & *vlt. tit.* 50

IV. *Voluntate* beneficium duobus modis amittitur. Priore, cum id à vaſallo refutatur ſeu abdicatur, *lib.* 2. *tit.* 14. & 28. ut & uſusfructus ceſſione amittitur, §. 3. *Inſt. de uſufruct.* Idque etiam diſſentiente domino, *d. tit.* 38. cum invito beneficium non detur, *l.* 69. *ubi notavimus*, *De reg. jur.* Et jam quæſitum beneficium cuique liberum eſt repudiare, *l. penult. C. de pactis.* jurique ſuo renunciare, *l.* 40. *De minorib.* Poſteriore, cum vaſallus ſinit juri ſuo præſcribi, *l.* 2. *tit.* 26. fingitur enim alienare velle, qui rem ſuam patitur uſucapi *l.* 28. *De verb. ſignif.* Sed hoc Gallici mores non recipiunt. *Pariſ. lib.* 1. *cap.* 7. *Aurel. tit.* 1. §. 10. & *tit. de præſcript* §. 3. & 4. qua de re ſupra pluribus in *cap.* 1. diximus.

V. Culpâ vaſallus amittit feudum primò, ſi ingrato faſtidio dominum contemnat; quod fit ſi inveſtituram intra tempus non petat, *lib.* 1. *tit.* 22. *lib.* 2. *tit.* 24. & *tit.* 40. Vel cum verbali ſeu civili & imaginaria inveſti-

tura facta à domino, realem investituram offerenti, evocatus, se per contumaciam sistere nolit: nisi sit feudum immune & expers fidelitatis; quod pacto remitti potest, *d. tit.* 24. §. *est & alia*, *in fine*, *l.* 2. *tit.* 3. *in fine*.

VI. Vel accusatus à domino vel curia ter accersitus, non pareat, ut à sese criminis invidiam amoliatur, amittet feudum, *lib.* 2. *tit.* 22. *ubi glossa eximia omnia citationum præcepta complectitur*. Si tamen intra annum se sistat paratus se defendere, sumptusque litis, quos *præjudiciales* vocant, refundat, audietur, eique possessio restituetur *l.* 15. *C. de judic. cap.* 4. *X. De dolo*, *Imbert. l.* 1. *cap.* 2. *Inst. forensium*.

VII. Vel cum vocatus ad expeditionem dominum proficiscentem comitari dedignatur, *lib.* 2. *tit.* 55. §. *firmiter*. si certè spacium competens clienti detur, §. *firmiter* quod ex temporis & personæ qualitate metiri oportet, *l.* 137. §. 3. *De verb. oblig.* & ex itineris ratione, *l.* 2. *& 4. Si qnis caut.* ut arma quoque & equos comparet, dilatio dabitur: quæ omnia in sagacis judicis arbitrio & prudentia posita sunt, *lib.* 2. *tit.* 28. §. *ad hoc*. Pendent enim à circumstantiis, quæ nulla certa lege continentur, sed ex æquitate statuuntur a judice, *l.* 3. *De re judic. l.* 14. *De divers. temp. præscript. l. penult. Rerum amotar.* Excusatur vasallus si vel ante pubertatem servitium non præ-
stet

ftet, *lib. 2. tit. 26. §. si quis decesserit.* vel dimidium fructuum vel proventuum illius anni malit solvere, vel alium substituere, *d. §. firmiter.*

VIII. Vel si servitium, cujus nomine feudum concessum est, detrectetur, *lib. 1. tit.* 21. nam & donationes ob caussam factæ, vel sub conditione ac modo, non secus, hac causa vel condititione cessante, vel modo, non impleto, revocantur, *l. C. de donat. quæ sub modo.* Vel denique si vasallo justitiam facere vel jus dicere nolit, *lib. 2. tit. 24. §. illud.*

IX. Secundo, si non contemnendo tantum, sed merè delinquendo dominum injuria afficiat vasallus, feudum amittit. Quod fit, si dominum in acie periclitantem vel in campestri pugna lethaliter vulneratum, dimittat, *l. 2. tit. 24. § 1. item qui dominum, l. 1. tit. 5.* Nec enim ut fabulæ spectator adesse debet, sed periculi partem sustinere, *lib. 1. tit. 21. in verb. laboraverit arg. lib. §. 1. 34. in verb. dicis caussa, D. ad S. C. Syllan.* vel cum sciret domino damnum imminere, certiorem non fecerit, *d. tit. 24. §. præterea.*

X. Vel uxorem domini adulterio corruperit aut turpitur & impudice colluserit, quod *cucurbitare* dicitur *lib. 1. tit. 5. lib. 2. tit. 38. & seq.* Et hoc verum est, sive uxor ipsa consentiat adulterio, sive dissentiat. Nam & facta nostris servis & liberis etiam volen-

lentibus injuria nos pertingit, *l.* 1. §. 5. *l.* 26. *De injur.* Idemque de ſponſa domini dicendum, quæ uxoris jure cenſetur. §. 9. *Inſt. de nupt. l.* 15. §. 24. *De injur l.* 7. *C. ad leg. Iul. de adult. l.* 60. §. 5. *& l.* 15. *& l. ſequenti, De ritu nupt. Baſil. lib.* 6. *tit.* 37. *Theod. Balſ. & Zonaras in* 66. *canon. Apoſt.* Quamvis in pœnis irrogandis & odioſis negotiis mitior ſententia probetur, *l. penult. De pœnis, c. odia. X. De reg. jur. in* 6. tamen legis Iuliæ verba de adulteriis coercendis de viro loquentia, ſponſum non excludunt, & adulterium in ſponſa vindicant, *l.* 13. §. 3. *ad leg. Iul. de adult.* Quod & ad viduam extendunt interpretes. quibus adverſari videtur textus *d. tit.* 21. *in verb. domino viventi.* Idem in concubina, quæ etſi dignitate ab uxore differat, *l.* 49. § *parvi, de leg.* 3. *l. antepenult. C. de nat. liber. Sidon. Apollinaris lib.* 9. *epiſt.* 6. et in concubinam non committatur adulterium, *l.* 3. *ff. de concub. Demoſth. contra Nearam.* Tamen intemperantia vaſalli hæc non erit impunita, ut interpretibus placet; quia domino juramento ad honeſtatem obſtringitur, *lib.* 2. *tit.* 6. & ex periurio feudum amittitur, *d. tit.* 24. §. *illud.*

XI. De oſculo, quod adulterii ſuſpicionem arguit, aliud Itali, aliud Galli cenſent. Illi oſculum puniunt, *Bald. c. tuæ X. de procur.*

cur: *Alc*: *lib*: 4. *c.* 10. *Parerg.* & *l*: 2. *Soluto matrim Donatus in Eunuch*, *Act.* 4. *Sce*: 3. *in fin.* Nos osculum culpa vacare putamus. quare eo nomine non amittitur feudum.

XII. Si vasallus non adulter, sed adulterii internuncius & quasi proxeneta sit, feudum perdet. cum & lenocinium ad legem Juliam spectet, *l*: 10. §. 1. 2. *l*: 8. *l. ff*: *ad leg*: *Iul*: *de adult*: & eadem lenonibus, quæ adulteris pœnæ statuantur, *l*: 3. §. 3. *De accusat.* Quod scilicet vix, sine sequestro & emissario Veneris, adulterium admittatur, aut certè admissa vix laterent, *arg*: *l.* 1. *ff*: *de recept*: *Novell*: 14. & 51. Ita Longinus lenones vocat, *accipitres mulierum*, qui lege Solonis ultimo afficiebantur supplicio.

XIII. Privatur quoque vasallus, si domini nurum, sororem, filiamve stuprarit, *d*: *tit*: 24. §. *rursus*, *d*: *tit*: §. *item si fidelis.* Atqui si domini fratrem interfecerit, non ideo feudum amittet, *l*: 2. *tit*: 37. multo ergo lenius cum eo qui stupri consuetudinem cum ejus sorore habuerit, ageretur? Sed cordato viro minus grave est filiam aut sororem suam occidi, quam violari, *l*: 8 §. 2. *D. quod metus caussa.* Exemplum Virginii apud Livium *l*: 3. *Decad.* 1. *Halicar. lib.* 11. *Antiquit.* & *Pompon. l*: 2. *De orig. juris*, qui filiam suam Appii Claudii libidini subtractam, arrepto gla-

 dio,

dio, ex taberna lanionis extracto, trucidavit. Stuprum autem vel adulterium ita demum punitur, ſi à ſciente dolo malo committatur. Nullum enim ſine dolo crimen vindicatur. Unde vaſallus ſi citra dolum matronæ aut virgini vitium obtulerit, excuſabitur, *arg. l.* 12. *ff. de lib. cau. l.* 3. §. 6. *ff. de hom lib. exhib.* ut ſi in mulierem larvatam aut perſonatam inciderit, aut meretricia veſte utentem *l.* 15. §. 15. *ff. de injur. Fab. lib.* 7. *c.* 3. Meretrices enim, quæ in luſtris proſtarent, ſignum aliquod publicè geſtaſſe conſtat, non modò ex Felino, *in rubr. de teſt. cogend. vulg. l.* 1. §. 1. *ff. furt. adv. naut.* (Sicuti fabricenſes ſtigmatibus notabantur, ut agnoſcerentur & fugientes ad opus revocarentur, *l.* 3. *C. de fabricen. lib.* 11. *& ulp. d.* § *ſi quis virgines, verſ. ſi merecricia veſte.*) Sed & ex Tertulliani Apolog. c. 6. *Video*, inquit, *inter matronas atque proſtibulas nullum de habitu diſcrimen relictum*, *Clemens Alex. l.* 2. *cap.* 2. *Pædagog. l. nulla*, 11. *C. Theoſ. lib.* 15. *tit.* 7. *de Scenicis*: unde obiter mendum tollendum eſt, &, pro *robur*, legendum, *rubor*; tranſpoſitis literis.

XIV. Vaſallus injuriam artrocem domino faciens, aperte, vel per inſidias, feudum amittit, *d. tit.* 24. §. *porro lib.* 2. *d. tit*: 5. §. *ſimiliter lib.* 1. Nam & eaſdem ob cauſſas uxor repudiari, filius exheredari, perfecta dona-

na-

natio revocari poteſt, *l.* 8. *C. de repud. l. vlt. C. de revoc. donat. Novel.* 115. *c.* 3.

XV. Inſidiatus autem vaſallus domino, eumve obſidens, non tantum feudo mulctatur, ſed & in legem Corneliam de ſicariis & veneficis incidit, *l.* 7. *C. ad l. Corn. de ſicar.* §. *vlt. ſi quadr. paup. l.* 130. *De reg jur. l.* 60. *De oblig. & actio. l.* 2. *De privat. delict.* Et hoc jure in Gallia utimur; additurque in ſententiis judicum, reos damnantium, clauſula, *La confiſcation à quil appartiendra.*

XVI. Si tamen vaſallus duobus dominis inter ſe belligerantibus, cum ab utroque evocaretur, antiquioris domini partes ſequatur, novoque domino nocuerit; feudum non perdet, *lib.* 2. *tit.* 55. §. *illud quoque praecipimus.* Quid ergo alius dominus conſequetur? Dimidium ſcilicet proventus illius anni, niſi ſubſtituum maluerit dare vaſallus, *d.* §. *firmiter.* Equidem malim ipſe, poſitis armis, in domo dimidium unius anni utrique pendere, quam alterutrum lædere.

XVII. Sed & jure cæſo domino, vaſallus feudum non perdet: ſi ob corporis ſui, rerumque ſuarum tutelam vim vi repulerit, *l.* 3. *De juſt. & jure. l.* 4. *Ad l. Aquil. l.* 1. *C. unde vi. c.* 3. *X. de homicid. Cic. pro Mil.*

XVIII. Contrahens cum inimico domini amicitiam, feudum perdit, *lib.* 2. *tit.* 26. *l.* 28.

l. 28. *in fin. C. de inoff. test.* & amicos reorum punitos olim ex Q. Curtio liquet. *v. l.* 5. *C. ad leg. Iul. majest.* abrogata nunc quod ad hoc attinet, per *l.* 22. *C. de pœnis.*

XIX. Instituta in dominum accusatione, delatione, testimonii dictione, feudum amittitur, *l.* 2. *tit.* 23. *d. tit.* 24. §. *item si delator.* Ut tamen minori XXV. annis ignoscatur, *l.* 14. §. 1. *ff. de bonis libert. l.* 5. §. 9. *ff. de his quæ ut indignis.* Quia tamen minor propter non petitam tempestive investituram feudo privatur, *lib.* 2. *tit.* 55 §. *præterea*, cur ei, si ad accusandum dominum descenderit, parcendum esse arbitremur? cum in delictis venia minori non detur, quamvis pœna mitigetur, *l.* 37. *De minoribus. l.* 1. & 2. *C. si advers. delict. l.* 9. § 2. *ff. de minor.* nec mihi probatur, quod nostri interpretes generalem hanc juris definitionem ad falsam & calumniosam accusationem contrahant, in *d. tit.* 24. §. *item si delator.* Ut enim reipubl. intersit delinquentium scelera patêre & coerceri, *l.* 18. *D. de injur. l.* 51. *in fin ff. ad leg. Aquil. Gell. lib.* 20. *cap.* 1. minimè tamen id per vasallum fieri oportet, *arg. l. vlt. C. de delat. Tull. pro rege Deiotaro.* Adde, quod in *d.* §. *item si delator*, hæc verba, *dispendium grave senserit, ex delatione*, satis indicant, dominum culpa non vacasse, cui alioqui sua freto innocentia nullum

ab

ab accuſatore periculum crearetur. Eodem pertinet quod *Novell.* 115 *c.* 3. filius patrem citra exhereditationis periculum omnino non accuſet, cui ea in re vaſallum comparamus. Niſi ea accuſatio dominum nefariè peſtem patriæ aut principis perniciem molientem, proderet, *d. c.* 3. *d. l. vlt.* Nam ſalus reipubl. omni pietate antiquior eſt, *l.* 35. *de relig. & ſumpt. l.* 19. § 7. *De capt. & poſtlim. Cic* 3. *Officior.* & publica utilitas privatam vincit; *c. ſecundo X. de poſtul. prælat. Valer. lib.* 1. *c. de pietate in patriam.*

XX. Quid ſi vaſallus ſuam ſuorumque injuriam perſequatur? & dominum impune accuſari putant *d. l.* 14. § 6. Ut & in cauſſa feudi dicere in eum teſtimonium vaſallus non prohibetur, cum nova inveſtitura non niſi per Pares curiæ probetur, *lib.* 2. *tit.* 33. §. *quod autem, & tit.* 32. *in princ. l.* 2. Si eam autem in alterius injuriam quis ulciſcatur, plurimum ſane intereſt, *l.* 12. *C. de his qui accuſare. l.* 8. *ff. de accuſat. l. antepenult. C. de his qui accuſ. Baſilicωn lib.* 60. *tit.* 34. *&* 66. & ibi interpres Græcus, *cap.* 130. *concil. Carthaginen. can. omnibus* 2. *q.* 6.

XXI. Denique ſi vaſallus dolo abnegat dominum, feudo ſpoliabitur, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *vaſallus. tit.* 34. §. *vlt.*. unde Gallorum mores profluxerunt, qui propter abnegatum domi-

minum, & propter falsum rerum beneficii jure concessarum, catalogum, clienti feudum eripiunt. *Paris.* §. 30. *Aurel.* 8. *Meldens.* 185. nam & inficiatorem leges civiles aversantur vehementer & oderunt, *l. ult. De rei vind. Auth. contra C. de non numer. pecu. l.* 10. §. 1. *De fidejus l'* 22. *in fin. De re judicat, l.* 1. §. 15. *ff. quadrup.*

XXII. Alia sunt exempla, veluti alienati injussu domini feudi, arcani detecti, proditionis, homicidii, & si sint ejusdem generis, quæ ab interpretibus coacervata lubens omitto, cum ad superiorem caussam, si parem majoremve rationem habent, nullo negocio revocentur, ut non semel admonet *Hortens. lib.* 2. *tit.* 23. *in princ. tit.* 22. 28. §. *ad hoc. arg. l.* 12. *& l. seq. De legib. arg. l. ult. si quadrup. Tullius in Topicis: Valeat*, inquit, *æquitas, quæ paribus in caussis paria jura desiderat.*

XXIII. Reliquum est ut videamus, ad quos feudum amissum revertatur. In qua quidem quæstione sic statuendum est: Amissum culpâ in dominum commissâ feudum, sive antiquum, sive novum, ad dominum ipsum redit, exclusis, ascendetibus & descendentibus, *lib.* 2. *tit.* 24. §: *denique, & tit.* 37. *vers. cum. autem ad dominum.* tacita enim conditio feudo inest, ut ad exemplum *donationis sub modo factæ, caussa non secu-*

ta, revocetur, *l.* 1. *C. de donat. quæ ſub modo.* Accurſius tamen & Hoſtienſis feudum antiquum, ob culpam vaſalli, domino committi negant; quibus aſtipulatur Zaſius 10. *parte*; & hæret propter feudalis textus dubios & ancipites. Sed dubitationis cauſſam omnem præciſam puto, *d.* § *denique d. verſ. cum autem*, ubi diſerte hæc prima regula probatur. Cui tamen locus non eſt in iis caſibus quos ſupra excuſſimus.

XXIV. Quibus addere licet & hos, ſcilicet ſi ita facta ſit inveſtitura, *ut non ſolum pater, ſed & filius feudum haberet*: culpa patris jus filio quæſitum non minueret, *arg. l.* 7. *ff. de uſufructu accreſcen. l. ult. D. de uſufruct.* Vel ſi feudum datum ſit vaſallo ob præterita merita; ut quia dominum inſidiis latronum liberavit: quia non tam beneficium eſt, quam egregii laboris merces, quæ ingratitudine aut culpa poſtea nata non revocatur, *l.* 27. & *l. penult* §. 1. *De donat.*

XXV. Quid ſi collegio, civitati, univerſitati, Eccleſiæ, feudo dato, adminiſtrator, rector, abbas in dominum peccet? Alvarotus ſentit feudum apud reliquos collegas manſurum, nec ad dominum reverſurum: quia vitium perſonæ unius obeſſe univerſis non debeat, *c. X. De reg. jur. in* 6. Aliter ipſe cenſeo, & mediam viam ſequor; nempe ut quamdiu,

diu is, qui deliquit, vivat, ad dominum revertatur; eoque mortuo collegium, civitas, vel ecclesia feudum recuperet, *l.* 2. *tit.* 40. *in fin.* Meritò. nam delictum omne morte extinguitur, *l. vlt. inf. Ad l. Iul. majest. l.* 2. C. *si reus vel accus. Demosthenes epist.* 3. *in fin.* Ipsi autem, qui elegerant, vitiosumque administratorem præfecerant, affines culpæ fuerunt, & aliquatenus rei, §. 3. *De oblig. quæ quasi ex delicto*, §. *ul. de societat. l.* 72. *ff. Pro socio* & mala electio electoribus imputatur, *l.* 2 *De decur. l.* 1. *C. de peric. tutor.*

XXVI. Cum non in dominum, sed in alium commissa culpa feudum amittitur; si quidem antiquum fuerit, agnato collaterali in quarto gradu vel remotiori acquiritur, exclusis omnibus descendentibus & agnatis intra quartum gradum, *lib.* 2. *tit.* 26. §. *si vasallus culpam*, *& tit.* 31. *d.* § *denique. lib.* 2 *tit.* 24. Feudum autem novum per vasallum delinquentem amissum non in dominum, sed in alium quemvis, ad dominum redit, exclusis omnibus descendentibus, *d:* §. *si vasallus culpam.* At cur agnati post quartum gradum admittuntur, filii vero in universum excluduntur? Quia consanguinitatem usque ad quartam lineam metimur, *c. licet*, *X. de consangu.* In filiis autem duplex est ratio. Una, quod in illis metuatur paternorum morum ex-

exemplum, ne ſit mali corvi malum ovum, *arg. l: 31. §. 21. De ædilitio edict. l: 5. C, ad l. Iul: majeſt: Canon: ſi gens.* 10. 56. *diſtinct.* Altera ratio; quia pater eo ipſo terretur, quod ipſius pœna etiam in filium derivetur: cum inſtinctu naturæ magis parentes liberorum ſupplicio quam proprio moveantur, §. *ult: De noxalibus*, *l: 8. in fin. Quod met: cauſ: Cic: in quadam ad Brutum epiſtola de Lepidi liberis. Plutarch. de ſera Numin: vindict.* Et hanc rationem Duarenus *l: 4. c. 5. de ſacroſ: Eccleſ: miniſter.* ad ſpurios, quibus etiam innocentibus patris intemperantia officit, produxit. Plura ad has tres regulas pertinentia ſcripſerunt *Zaſius in* 10. *parte*, *Alvarotus*, & *Andreas ab Iſernia lib.* 2. *tit:* 24. §. *ult:* 3. *Hoſtienſ: in ſumma de feud: lib:* 3. *decretal: Baro lib:* 2. *cap.* 6. & 8. *in methodo Feudorûm.*

E X P L I C I T.

ANTONII CONTII ANTECESSORIS BITURGUM
Methodus de Feudis.

INDEX CAPITVM.

AN-

ANTONII CONTII,
ANTECESSORIS
Biturigum,
METHODUS DE FEUDIS.

Ad Tit. XX. libr. III. Dicretal.

SUPERIORIBUS titulis variæ alienationum ſpecies relatæ ſunt, quibus partim Dominium transfertur, partim non transfertur. Transfertur per *Venditionem* & *Permutationem*: Non transfertur per *Precarium* & *Emphyteuſin*, ut ſupra *de locat. & conduct. cap. vlt.* Merito igitur hîc ſubiicitur ſpecies Alienationis, per quam nec Dominium transfertur, & tamen Alienatio eſt: quia uſusfructus ſpecies Alienationis eſt, *l. vlt: C. de reb: alien: non alienand.* Cui feudum perſimile eſt, ut videre eſt apud Congeſtorem Librorum Feudor. *lib. 2. tit: 23. In quib. cauſ: Feud: amitt: §. vlt.*

Singularis autem hæc materia eſt in Jure Canonico: in civili jure nulla ejus alienationis mentio fit, neque etiam Beneficiorum. *Beneficium* enim Longobardica voce *Feudum* dicitur. Quamvis enim hi Libri *de Feudis*, ſolent Civilibus adjungi; jure Civili tamen non comprehenduntur. Nam Obertus ho-

rum librorum Congeſtor, poſt Juſtinianum quingentis annis vixit.

DE ORIGINE, ET LIBRIS FEUDORUM.

CAP. I.

I. ORIGO autem Feudi unde ſit, doctiſſimi dubitarunt. Primus *Haloander* putat, mentionem eorum fieri in Novellis, ſub appellatione *Militiarum*. Verùm hanc ſententiam Haloandri refutant multi. Militiæ enim fuerunt officia certa miniſtris Magiſtratuum aſſignata, quæ pecunia vendi poterant, & ideo in commercio erant, ut fuit officium Apparitorum. Apparet ergo multum differre Militiam à feudo. Nam Militia eſt jus perſonæ; Feudum in rebus immobilibus & quaſi in poſſeſſione conſiſtit.

II. Budæus & Zaſius *in l. 2. de orig: jur:* retulerunt ad jus clientelarum vetus, & dixerunt, *Feuda pendere ex clientelis.* Dominus enim Feudi nihil aliud eſt, quam patronus. At jus clientelæ ex XII. Tab. originem ſumpſit. Hujus tamen clientelæ rara fit mentio in libris noſtris. Nam poſtquam Reſpub. in unum hominem tranſlata eſt, exolevit, ut Cicero teſtatur *in multis locis, & lib:*

1. de

1. de Orator. Verum nec hæ clientelæ comparari poſſunt cum Feudis: Cùm enim cliens ſe dabat in clientelam nobili Romano, retinebat tamen liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, eratque tantum perſonale jus. Sed hodie illi Domini in vaſallos ſummum jus non ſolum in perſonam, ſed etiam in res habent; neque commodè referri poteſt ad Clientelas hæc origo.

III. Tertia ſententia eſt Viglii, *ad Rubr: titul: Inſt: de teſt: mil:* qui ait, *hæc Feuda originem traxiſſe ex ſumma prouidentia Impp: in tyrones, qui ad militiam adhibebantur.* His enim dabantur prædia, ut facilius ſuſtineri poſſent & poſtea illa à Longobardis *Feuda* dicta ſunt Hanc ſententiam non approbo.

IV. Poſtremò Sigiſmundus Loffredus tradit originem majorum. Cùm enim Impp: Romani recentiores ferè ſemper in aliquo loco iter faciebant, & amicos Iuriſconſultos, & militiæ peritos ſibi adjungebant, qui eos in via comitabantur, inde *Comites* dicti, *l. 4. D. de off: aſſeſſor.* His ergo Comitibus, ut majorem alacritatem obtemperandi adderent, certa prædia aſſignabant Impp: quæ colerent per alios colonos, ex quorum fructibus ſe alerent. Et refert Sigiſmundus, primùm Conſtantinum certas villas deſignaviſſe, & poſtea idem quoque feciſſe Reges Longobardorum.

VI. Sed veriſſima ſententia eſt, relictis aliis omnibus, quod Impp: limitaneis militibus, & ducibus certa loca limitum & territoria aſſignarunt, ab hoſtibus capta, quæ omnia dabantur militibus. Antè enim Imperatorum erant omnia prædia capta, quod poſtea mutatum eſt, & prædia militibus data ſunt. Quod primùm fecit Alexander, ut Lampridius refert, ita quidem ut eſſent militum; in heredes autem eorum tum demum transferrentur, ſi eorum heredes etiam militarent, nec unquam ad privatos ejusmodi prædia pervenirent: quod ſi pervenirent, publicarentur. Quod confirmat Vlp. *in l: 15. §. 2. D. de rei vind: l: 11. de evict:* ubi dicitur, quaſdam poſſeſſiones fuiſſe Veteranis in præmia aſſignatas. Sed & idem confirmat *l: pen: & ult: C. de fund: limitroph: (lib.)* 11. *in qua l: pen: ſtatuitur, ut loca limitum & territoria poßideri tantùm poſſint a Caſtellanis & limitaneis militibus, de quibus judicavit antiquitas.* Quibus verbis oſtenditur, multis ſuperioribus temporibus id in uſu fuiſſe. Sed origo hinc eſſe non videtur, quia hodie Feudis annexæ ſunt Juriſdictiones.

VI. Sed jure Romano eſt incognitum, ut aliquis habeat aliquam juriſdictionem ratione Feudi vel Terræ: quod in Feudis contrarium eſt. Huic objectioni reſpondemus, poſſe ex

d. l.

d. l. pen: colligi, jurisdictionem unà cum limitrophis transire solitam in milites, quòd probat verbum, *Territoria*: quia territorium nihil aliud est quàm locus cum jurisdictione, idque probatur ex *l.* 239. §. 8. *de verb: significat.* Sed Territorii alia est derivatio, non à terrendo, id est submovendo, *d. l.* 239. §. 8. sed terendo, quod frequentius à civibus teratur, autore Varrone *lib.* 4. *de Ling Lat.* Aliam etymologiam tradunt, quòd milites in eo loco terrere hostes possint & repellere.

VII. Verùm in his variis etymologiis potior, quæ in jure nostro probatur. Et ego animadverti, antiquissima Feuda à Castellanis teneri. Et sententia hæc in majoribus Feudis est verissima. Quod ad minora attinet, videntur ortum habuisse ex antiquo jure Clientulorum, quia in aliquo vetusto libro Veromanduorum legi, hinc originem habuisse, quòd homines infirmiores, qui à potentioribus premebantur, in clientelam procerum sese cum suis prædiis dederunt, ut defenderentur ab illis.

VIII. Mentio tantùm fit Feudorum in jure Canonico, ut *c. Quæ in ecclesiarum X. de Constitution. c. Ceterum. X. de judic. c. ex transmissa c. verum. X. de for. competent. c. ad nostram. c. cum laicis. X. de rebus Eccles. alien. vel non Celm. Pastoralis de sent. & re jud. & h. t. nostro.*

IX. Aliàs mentio non fit Feudi. Sunt Libri de Feudis congesti ab Oberto. Quorum librorum nullam esse autoritatem *Molinaus* vult, quia ab Oberto homine privato, nullo præcedente jussu aut mandato; seu principis seu populi, fuerint compilati & conscripti. Denique quia illud jus Longobardicum est & barbarum, & in multis locis sibi contrarium, in multis etiam contra LL. Romanas. Verbi gratia, successionem, quæ fæminas excludit, quod tamen Justinianus prohibuit, approbat. Dicendum tamen est, illos haberi pro Authenticis, cùm aliud jus deficiat. Nam *Iason*, *Zasius*, *Alciatus*, & *Baro* semper hos libros autoritatem habere scripserunt. Nulla enim est memoria, qua non hi libri in scholis publicè lecti sunt, Imperatore non contradicente.

DE DEFINITIONE FEUDI,

CAP. II.

I. FEUDUM, Longobardicam vocem, Latinis esse *beneficium* diximus. *Beneficium* vocabulum est, quod latè accipitur, & à Seneca sic definitur: *Beneficium est benivola actio, tribuens gaudium accipientibus, capiensque tribuendo, in id quod facit prona & sponte sua*

ſua parata. Sed hæc definitio huc non pertinet. Hic enim pro materia ſubjecta, ſic definitur: *Feudum eſt res immobilis, ita data alicui, ut ejus proprietas penes dantem maneat, uſusfructus verò ad accipientem, heredesque ejus maſculos, vel fœminas, ſi ita dictum ſit, in perpetuum tranſeat: dummodò accipiens ejusque heredes fideliter domino ſerviant.* Hæc definitio ab Oberto compoſita eſt. Ceteri aliter definierunt: ſed eorum definitones mihi non probantur. *Beneficium eſt rei immobilis, ſub fidelitate datio.* Verum aliquid videtur omiſiſſe, videlicet, *retentionem dominii & tranſlationem uſusfructus.* Baro ſic: *Beneficium eſt res ſoli, fidelitatis nomine, utenda data.* &, per conſequens, retinetur dominium. Dicit, *res ſoli*, quia Feudum tantùm in rebus immobilibus conſiſtit, *tit.* 1. *lib.* 2. §. *ult.*

II. *Fidelitatis* verbo notatur propria qualitas & ſubſtantia Feudi, per quam à ceteris rebus, quæ ſimili ferè titulo poſſidentur, Feudum ſeparatur. Primùm enim Beneficium Eccleſiaſticum ſequitur non eſſe Feudum: quia quamvis detur ab Epiſcopo, non tamen datur ſub conditione Fidelitatis; quia non ſic confertur ab Epiſcopo, ut qui accipiat, ſerviat Epiſcopo, ſed ut Eccleſiæ ſerviat & miniſtret, 21. *qu.* 3. *c. placuit.*

III. Præterea Feudum à Precariis ſeparatur,

tur, & à Donationibus; quia in illis nulla intervenit fidelitatis obligatio: quamvis Donatio propter ingratitudinem revocari possit, tamen non cogitur donatarius pugnam pro donatore suscipere. Inde constat falsum esse, quod quidam dixere, *Feuda olim nihil aliud fuisse, quam Precaria*, & fuisse sic olim Feudum jure Civili cognitum. Quia dicebant, olim nullum tempus fuisse præfinitum, sed dominium, quandocunque voluisset dominus, potuisse revocari, *ut tit.* 1. *lib.* 1. *Feud.* quod idem in Precario fuisse. Primò enim Feuda fuere revocabilia ad nutum domini, & sic Precaria: secundò, annalia: tertiò, vitalia, id est, ad vitam tantum accipientis durabant: quartò, transmissilia ad primum gradum liberorum: quintò, ad secundum gradum liberorum: sextò, ad omnes legitimos; posteà in infinitum, *d. tit.* 1. *lib.* 1. *Qui feud. dar. poss.* Quod argumentum falsum est. Quamvis enim ad nutum revocabantur, tamen fidelitatem debebat Vasallus, quod in Precario non fuit. Denique distinguit Feudum à rebus Emphyteuticis, vectigalibus, & in perpetuum locatis & Censualibus: quia in illis pro fidelitate intervenit pensio, seu Canon, vel vectigal. Unde intelligimus, non tradi Feudum, ut melioretur fundus, sed ut domino obsequium præstetur. Sunt

ta-

tamen quædam Feuda, in quibus præter fidelitatem aliquid exigitur à vaſallo, vel in pecunia, vel in alia penſitatione, & propterea non deſinunt eſſe Feuda.

CAP. III.

DE DIVISIONIBVS *FEUDORUM.*

I. FEUDORUM aliud *Eccleſiaſticum*, aliud *Laicum* vel *Seculare* eſt.

II. *Seculare* eſt, quod à Secularibus detineri poteſt vel ſolet: *Eccleſiaſticum*, ab Eccleſiaſticis vel ab Eccleſiis: *lib.* 1. *Feud tit.* 1. *& tit. de cler. qui inveſtit. fac. & tit. Epiſc. vel Abb.* &c.

III. Laica beneficia tantùm à Laicis hominibus poſſunt poſſideri, non item ab Eccleſiaſticis, nec ſuo nomine vel nomine Eccleſiæ, niſi ſit paternum, *lib.* 2. *tit.* 26, *ſi de feud. defunct. ſit content. & int. ag. & dom.* §. *qui clericus.* ubi dicitur, eum qui Clericus ſit, hoc ipſo ſolo Feudum amittere. Sed jure Canonico hîc diſtinguitur. Poteſt enim Clericus ſuo nomine retinere Feudum, nec amittit per Monachiſmum, *c. ex tranſmiſſa. X. de for. competent.* At Eccleſiæ nomine Feudûm tenere jure Francorum non poteſt. Quin ſi

si requirat Dominns, jus habet jubendi, ut relinquat vasallus Feudum intra annum Domino vacuum. Ratio est: Quia Ecclesia comparatur fæminæ. Fæmina autem Feudum retinere non potest, quia non potest pugnam facere pro domino; sed vasallis incumbit necessitas pugnandi, denique nulla videbitur ab Ecclesia utilitas præstari domino. Si itaque hoc moribus observatur, poterit dominus adimere Feudum vasallo. Potest tamen Rex hoc admittere sua autoritate.

IV. Secunda Divisio Feudorum est, quod alia *Nobilia*, alia *Ignobilia* sunt. *Nobilia* sunt, quæ nobilitant possessorem suum. Apud Obertum enim *Terra nobilitat personam*; quod contra est jure Romano: quia immunitas agris data ad personas non pertinet, nec eas immunes reddit, *l.* 3. *& ult D. de censib.* Constat itaque hanc divisionem non congruere Iuri civili.

V. Sed Nobilium Feudorum sive Beneficiorum quædam dignitatem annexam habent; quædam carent dignitate. Quæ habent dignitatem, sunt, veluti Ducatus, id est, qui habent Ducalem dignitatem connexam: Comitatus limitaneus, id est, Marchia. Quæ non habent dignitatem, sunt eorum qui simpliciter Capitanei Regis vel majores Valvasores dicuntur. Hæc Divisio

visio non congruit etiam juri Gallico. Nam Franci habent regulam: *Neminem nobilitari propter Feudum, nisi quis dignitatem habens Feudum à Rege acceperit.* Quoties enim Rex illa Feuda confert, nobilitant. Si autem Dux suum Feudum vendat, non tamen emptor fit nobilis. Id quod etiam colligitur ex *l. un. C. de his qui à Princ. vacat. accep.* (*lib.* 10. *tit.* 44.) Ideoque plerisque moribus Provinciarum cautum est, posse Feuda nobilia transferri in ignobiles personas, salvo tamen honore Regis, hoc est, non illos fieri propterea nobiles.

VI. Tertia Divisio: Feudum aliud *Regale* est, aliud *non Regale. Regale* apellant, cui dignitas quædam regia accedit. Dignitates Regis sunt, cum quis potest cudere monetam, Judices dare &c. Etiam usu obtinuit Ducatum, Comitatum & Marchiam esse Feuda regalia, & ceteras dignitates, quæ à Rege conferuntur. Unde quidam dicunt, quod sit dictum hoc *Feudum regale*, quod à Rege datum sit. Sed hæc denominatio absurda est, ut testatur Baro. Quidam tamen hoc collegerunt ex *lib.* 2. *tit.* 10. *Quis dicat. Dux vel March.* & ideo etiam regale dici Feudum, quod à Rege concessum sit. Sed hæc vana sunt.

VI. Quarta divisio. Feudorum aliud est *Ligium*, aliud *Simplex*, id est, non Ligium.

Hæc

Hæc divisio colligitur ex *Clem. pastoralis de re judicat.* quo loco Clemens V. scribit, *Regem Siciliæ esse hominem ligium Ecclesiæ Romanæ & proprium vasallum.* Feudum ligium igitur est feudum arctissimum & summæ, post Deum, fidelitatis & obsequii; quando scilicet vasallus jurat solemniter, se adfuturum Domino adversus omnes, nemine præter Deum excepto: ita ut ei adversus parentes etiam auxilium ferre velit. Qui non sunt Ligii, non coguntur Domino adversus Principem auxilium ferre. Et dictus est *ligius*, quasi ligatus & subjectus arctissimo vinculo. Hinc sequitur, *nullum feudum ligium posse dari, nisi ab Imperatore vel Rege, qui summam habent potestatem.* Denique neminem posse esse ligium duorum Dominorum, ut refert *Speculat. Bald. Ias. & alii, gl. in c. pastoralis in verb. Homo ligius. in d. Clem. de re Iudicat.* Sed hæ duæ consequentiæ non congruunt moribus Gallorum. Nam his cavetur: *posse aliquem Ligium esse Domini summam potestatem non habentis*: idque colligi potest ex moribus Pictonum, *tit. de feud. art.* 81. & moribus Ambianorum, *art.* 138. quo loco apparet posse aliquos vasallos ligios esse etiam non summorum: ut Dux Nivernensis non habet summam potestatem; sed tamen ipse Regis Francorum Ligius est.

VIII.

VIII. Feudorum quoddam constat secundum *mores francorum jure parili*, aliud *pleno jure obsequii & fidelitatis.* Jure parili sive paritatis feudum constat, quoties possessor domino nullum sacramentum fidelitatis debet; fidelitatem tamen debet, sed juramentum remittitur. Et hoc jure censentur Feuda juniorum fratrum, quæ à fratre primogenito possident, qui fratris sunt vasalli, sed jure paritatis. Feudum pleni obsequii rursus subdividitur in Ligium & non Ligium; Ligium, ut supra dictum est: Non ligium, quod simpliciore sacramento vasallum adstringit, quia diversæ etiam sunt formulæ jurandi, ut in moribus Andegavensium.

IX. Quinta divisio Feudorum: Quædam sunt primi gradus, quædam secundi. Primi, ut sunt *Beneficia*: Secundi, quæ dicuntur *Sub beneficia.* Beneficia sunt, quæ à Principe, nullo intermedio Domino, possidentur: Subbeneficia verò, quæ, intervenientibus intermediis aliquibus Dominis. Hæc Divisio probatur *in tit. de prohib. Feud. alienat. per Frid. lib. 2. tit.* 55. Exemplo est quòd Duces in omnibus ferè provinciis habent vasallos Barones, & hi sunt Subbeneficiarii. Colligitur & hæc Divisio ex moribus Biturigum, quibus Feudorum alia sunt Dominantia, alia Servientia, *in Morib. Biturig. tit. de Feud. art.* 20.

X. Sex-

X. Sexta Divisio. Feudorum aliud est Rectum, simplex, purum, liberum, id est, in cujus constitutione vel creatione nulla pactio sive conditio contra communem naturam Feudorum intervenit; aliud verò est Conditionale, in cujus constitutione pactum vel conditio intervenit contra communem Feudorum naturam, *lib.* 2. *tit.* 23. *in quib. caus. feud amitt.* Ut igitur primæ speciei definitionem intelligamus, dicendum est, quæ de natura Feudi sint. Primum est de natura Feudi, ut sit gratuitum, id est, nec mercede nec pecunia constitutum. *d. tit. sn quib. caus. feud. amitt.* Secundò Natura feudi est, ut dominum maneat penes dantem, ususfructus transeat in accipientem Tertiò, ut transeat ad heredes, *tit.* 1. *lib.* 1. *Feudor.* Quartò, ut non amittatur citra culpam, aut voluntatem beneficiarii, vel citra factum. *d. t. In quib. caus. Feud. amit. & tit. de natur. Feud. lib.* 1. *tit.* 7. Quintò, ut ad solos heredes masculos transmittatur, id est, ut sit masculinum, *tit.* 1. *lib.* 1. Sextò, ut fidelitas, id est, fidelitatis juramentum præstetur. *lib.* 2. *tit.* 3. *per quos fiat investitur. cum seq.* Hæc sunt, quæ ad naturam Feudi pertinent, quæ omnia pactis contrahentium immutari possunt, modò, ne de substantia Feudi sint.

XI.

XI. Explicandum autem paucis etiam hîc, quæ sint substantialia, sine quibus nomen contactus constare non potest. Sicut enim in emtione merx & precium, ita in Feudo fidelitas & res immobilis necessariò intervenire debent. Non enim potest pacto fieri, ne fidelitas interveniat, vel ut in mobili re feudum detur. Cetera pertinent ad naturam, non ad substantiam. Naturalia verò sunt, quæ in Contractus institutione adesse solent vel debent, non tamen necesse est adesse, sed pacto contrahentium fiiri potest, ne adsint. Veluti in Empione, naturale est illius contractus, ne dominium transeat ad emptorem nisi precio soluto, §. 41. *Inst. de rer. divis.* Potest tamen pacto contrahentium aliter disponi; manente nihilominus contractu Emptionis. Exemplum adferri potest: Homini naturale est habere liberos, etiamsi non habeat, nihilominus homo erit. Ita naturale est in Feudo, ut masculi succedant: potest tamen fieri pacto, ut & fœminæ succedant. Potest etiam pacto fieri, ut non sit tantùm perpetuum, sed etiam temporale & annuum. Quæ igitur hic adduntur Divisiones, possunt sub hac divisione modo explicata comprehendi: ut *Feudorum aliud transeat ad masculos tantum, aliud ad feminas etiam.* Nam conditione fit, ut ad feminas transeat. Item aliud est *perpe-*

 tuum

tuum, aliud *temporale*, veluti feudum Guardiæ, & Castaldiæ, *titul de feud. Guar. & Castald lib.* 1: quia temporale fit pacto. Item feudum aliud est *Pignoraticium*, aliud *non potest oppignorari.* Sed & hoc pacto contrahentium fieri debet.

XII. Septima Divisio. Feudorum aliud *Antiquum* sive *Paternum*, aliud, *Novum*, aliud *Maternum*. Antiquum est, quod fuit alicujus ex ascendentibus intra quintum gradum & supra primum gradum, idque jure Longobardico. Hoc etiam dicitur *paternum*, nisi quòd paternum duobus modis dicitur: Latè *lib.* 2. *tit.* 50. *natura success. feud.* Strictè, pro eo Feudo, quod patris tantùm fuit, *Tit.* 1. *lib.* 1. *de his, qui feud dar. poss.* §. *Cùm verò Conradus. lib.* 1. *tit.* 12. *de contens int me & dom. de port. feud frat.* &c. Novum, quod per possessorem acquisitum est, non per successionem delatum vel quæsitum, *tit. Qui test. sint necess. ad non. investit. prob. lib.* 2. Maternum, quod à matre transmissum est, quod dicitur etiam *fæmineum. tit. de feud fæm lib.* 2. *tit.* 30.

XIII. Octava divisio. Feudorum quædam æqualiter dividuntur inter omnes heredes proximi gradus, sive descendentes, sive ex latere venientes; quædam inæqualiter dividuntur, aut etiam indivisa habentur à pluribus, jure Longobardico. *lib.* 1. *tit.* 1. *de his qui feud. dar.*

poss.

poss. §. *& quia lib.* 1. *tit* 8. *de success. feud.* & *lib.* 2. *tit.* 26. *si de feud. defunct* §. *cont. tit. Omnes filii.* Sed jure Francorum, Anglorum & Siculorum omnino non dividuntur Feuda, sed integra ad primogenitum pertinent, ceteris exclusis. Et hoc intelligitur de Feudis majoribus; veluti de regno, vel ligiis Feudis ab ipso Principe immediatè pendentibus. Verùm in Provincia Parisiensi & Bituricensi non pertinet totum Feudum ad primogenitum, sed unum jugerum & præcipua domus, reliqua pars dividitur æqualiter. In provinciis aliis integra Feuda pertinent ad primogenitum. Ita servatur in Ambiana. Sed primogeniti jus prorsus incognitum est apud Longobardos.

XIV. Nona Divisio. Aliud est *Dividuum*, aliud *Individuum*. Dividuum, quod in partes dividi & scindi potest, & regulariter dividitur inter heredes, sicuti media & infima Feuda, quæ in partes dividi possunt. Et ab initio quidem fuit, ut omnia Feuda essent dividua: sed per Fridericum constitutum est, ut nobilia feuda, id est, regalia sint individua. §. *firmiter vers. præterea. tit. de prohib. feud. alienat. per Frid. lib.* 2. *tit.* 55.

XV. Decima Divisio. Feudum aliud *intra territorium jurisdictionemque domini consistit*, aliud *extra*, *titul. Quib. mod. feud. amitt.*

in fin. lib. 1. *tit* 5. *& tit.* 17. Non enim eſt neceſſe, omne feudum eſſe in territorio domini proprii. Hinc regula Francorum, *Feudum non eſſe ſufficiens argumentum dominii, & contrà*, nec ex jurisdictione feudum probari poſſe.

XVI. Reliquæ omnes Divſſiones feudorum, quæ recenſentur à Feudiſtis, poſſunt ad has decem Diviſiones referri. Quidam tamen Feudiſtæ habent undecimam Diviſionem, quod quædam conſiſtant in *rebus immobilibus corporalibus*, veluti prædiis, villis, urbibus: quædam in *rebus immobilibus & incorporalibus*, veluti decimis: jurisdictionibus, &c. Hæc diviſio ad hoc prodeſt, quod aliter committitur feudum in corporali re conſiſtens, aliter in incorporali.

XVII. Omne autem jus, quod conſiſtit in patrimonio noſtro, in his tribus verſatur, in acquirendo, conſervando, & amittendo, *l. ult. D. legib.* Hos igitur locos, quia & feudum in noſtro in patrimonio habetur, ſequemur in hac tractationo.

CAP. IV.

DE ACQUIRENDO FEUDO.

I. DE acquirendo feudo primùm videamus. Feudum autem quo modo quæratur, quæritur? Iustè acquiritur, si ab eo, qui dare potest, detur, & accipitur ab eo, qui jus accipiendi habet, & si eo modo datur & accipitur, quo dari & accipi debet. Ergo hic locus tres locos continet. Primúm, de personis duplex est consideratio, de Accipientibus & Dantibus personis: Tertia est de modis.

CAP. V.

DE HIS QVI FEVDVM DARE POSSINT.

I. DARE autem feudum possunt primò Imperator, qui jus dandi habet. Quod quamvis ab Oberto prætermissum est in *tit.* 1. tamen potest ex aliis titulis probari, nempe *lib.* 2. *tit.* 10. *Quis dicat. Dux*, &c. & *lib.* 2. *tit.* 34. *de L. Corrad.*

II. Potest autem dare omnis generis & dignitatis feuda, ut Comitatus & limitaneos Du-

citus; poteſt etiam dare inferiora, ut Baronatus & Caſtellanias.

III. Quod de Imperatore dicimus, idem & de Rege, qui nulli Principi obnoxius eſt, dicemus. In hoc genere conſtat eſſe Regem Francorum, quod indicat Titulus Regis: *Dei gratia Francorum Rex*: quaſi à ſolo Deo imperium habeat, non autem ab alio. Ideoque non ſunt audiendi Baldus & alii, qui Imperatori blandiendo fingunt Franciam ſubeſſe Romano Imperio.

IV. Tertiò, Pontifex Rom. poteſt feudum dare in his Provinciis & agris, qui olim Principum beneficio Eccleſiæ Romanæ datæ ſunt, primùm à Conſtantino, *c. Conſtantinus*, 96. *Diſtinct.* ſecundò à Carolo Magno, qui devictis Longobardis multas civitates propriè patrimonio Eccleſiæ Romanæ addixit, ut ex Hiſtoriis & Legibus ejus cognoſcere licet. Hinc Clemens V. aſſerit, ſe in feudum Regnum Siciliæ dediſſe Regi Siciliæ.

V. Quartò, feudum dare poſſunt ſecundi ordinis Principes, Dux, Comes, Marchio, de quib. *lib* 1. *tit.* 1. Nam quamvis in impreſſis libris nomen *Ducis* abeſt, tamen in antiquo exemplari manuſcripto *Dux* rectè inſeritur. Et hi propriè dicuntur *Capitanei Regis vel Regni*. Ducibus & Comitibus, qui dicuntur propriè Capitanei Regni, compara-

ra-

rari possunt pares Franciæ. Et hic est secundus ordo eorum qui feuda dare possunt.

VI. Tertius ordo, qui post Imperatorem feuda dare possunt, est eorum, qui sunt subjecti Ducibus, Comittibus, vel Marchionibus, qui Capitanei Regni dicuntur, id est, qui feuda ab illis accipiunt. In quo genere sunt Subcomites, Barones, & hujus generis personæ, qui *Capitanei* simpliciter dicuntur, non *Capitanei Regni:* Item appellantur *Valvasores Regis vel Regni*, & *Valvasores majores*, *tit.* 1. *lib.* 1.. His personis in Francia comparare possumus eos Duces aut Comites, qui subsunt Paribus Franciæ, item Vicecomites

VII. Quartus ordo eorum, qui possunt dare feuda post Regem & Imp. est eorum, qui feudum accipiunt à Valvasoribus, id est, ab ipsis Subcomitibus: & hi dicuntur *Valvasores minores.* Et jure Longobardico non possunt minores Valvasores dare feuda. *tit* 1. *lib.* 1. §. *Notandum.* Sed consuetudine Mediolanensium poterant dare feuda.

VIII. Et item hi minores poterant conferre feudum: & hic quintus erat ordo, qui *minimi Valvasores* dicuntur, vel *Valvasini*, *lib.* 1. *Tit.* 15. *An marit. succed. uxor. in benef.* & *lib.* 1. *tit.* 26, *de feud. dat. minim. Valvasor.* His comparare possumus in Francia, scilicet

minoribus, *Castellanos*, id est, illos, qui possident Castella; Minimis autem *Scutarios*, id est, Nobiles, qui nudum Nobilitatis nomen retinent. Et hi etiam feuda conferre possunt; quemadmodum etiam plebei apud Gallos, non tamen apud Longobardos. Sed hi in Francia feuda tantùm dare possunt de proprio Allodio: Quod autem diximus de Duce, potest ipse dare in feudum rem ab imperatore in feudum acceptam.

IX. *Allodium* nihil aliud est, quàm res mancipi, id est, ager nulli tributo aut vectigali aut canoni aut censui obnoxius. Et potest hoc Allodium comparari his prædiis, quæ dicebantur *optimo jure teneri* olim apud Romanos. Hujus Allodii plerisque in locis mentio fit in glossis juris Civilis. Sunt enim alia prædia *Alloudia* sive *Allaudia*, id est, nec servitio nec censui obnoxia, liberrima & juris optimi: alia sunt *feudalia prædia*, quæ libera sunt ab omni pensione, sed possessorem suum alligant fidelitati & perpetuo obsequio: alia sunt *prædia censualia*, quæ censum annuum Domino debent. Ad hoc genus prædiorum refertur etiam *fundus Emphyteuticus*. Hi qui habent Allodia, possunt illa dare in feudum, qui autem habent censualia, non possunt. quia nihil tam contrarium feudo est, quàm census. Plebeius autem feudum, quod à Prin-

cipe

cipe habet, more Francorum, ſicut diximus, non poteſt ſubfeudare: & ſi hoc fecerit, Dominus poterit feudum ſibi vindicare. Poteſt tamen aliquis vendere, quia hodie feuda ſunt in noſtro patrimonio, ut *in conſuet. Veromand. & aliis.*

X. Quod autem diximus de majoribus perſonis, intelligendum eſt, ſi hoc illis non ſit ſpecialiter prohibitum, & de his, qui habent liberam rerum ſuarum adminiſtrationem, *lib. 2. tit. 3. Per quis fiat Inveſtit.* Et hoc rurſus eſt accipiendum de nonis feudis, non de veteribus. Nam illæ perſonæ, quibus interdicitur alienatio, ut eſt pupillus, vetus feudum concedere poſſunt, idque poſſunt abſque tutoris autoritate: novum amtem neque cum tutoris autoritate poſſunt, *arg. l. 5. §. 5. D. de reb. eor.* quia tutor adminiſtrare, non alienare poteſt. Quod in pupillo diximus, idem quæritur in clerico, *An clericus in feudum dare poſſit?* Dicendum eſt, eodem modo illum poſſe vetus feudum confirmare; non autem novum feudum conſtituere. *c. Ad noſtram, ſupra de reb. Eccleſ. alien. c. 2. h. t. de feud.*

CAP. VI.

QVIBVS PERSONIS FEUDUM DARI POSSIT;

sive, qui Feudum accipere & adquirere possint.

I. GENERALITER traditur, omnibus personis, quæ sui juris sunt, beneficia acquiri & dari, tam per se, quàm per alios, veluti servos vel procuratores, *lib.* 2. *tit* 3. *Per quos fiat investit.* § *personam.* At servi & Monachi suo nomine feudum adquirere non possunt, cum jure Romano suo nomine nihil tenere possint. De Clerico dubitatum est, *an possit suo vel Ecclesiæ nomine adquirere?* Obertus dicit non posse; quia non potest præstare obsequium, *lib.* 2. *Titul.* 36. *An mut. vel alias imperfect. feud retineat.* Ipse Obertus tamen fuit in alia sententia. Et cum certum sit, quod possit hodie aliquis per alium inservire, nihil videtur obstare quò minus clericus feudum suo nomine habere possit. *ca. ex transmissa. X. De for. compet.* Hoc etiam jure Francorum constitutum est, ut possit clericus tenere suo nomine feudum: Ecclesiæ autem nomine non aliter, quam si autoritate Principis id consequatur, & obsequium

quium â feudo ſit ſublatum. Quod ſi principis reſcripto non ſit cautum, poteſt Dominus jubere, ut Eccleſia ſibi vacuam reddat poſſeſſionem intra annum, vel ſubſtituat hominem mortalem, in cujus perſona omnia jura feudalia conſiſtunt, ſcilicet, ut commodum morientis ad dominum perveniat.

II. Idem dicendum eſt de muto, eum feudum tenere non poſſe; quia juramentum præſtare non poteſt: Idem de cæco, claudo, ſurdo vel aliàs imperfecto, *tit.* 36. *lib.* 2.

III. Idem de femina, quæ poteſt poſſidere feudum femininum, non autem maſculinum. *Femininum* autem eſt, in cujus prima inveſtitura pacto adjectum eſt, ut etiam ad feminas tranſiret. Sed & femina jure Longobardico poteſt habere juriſdictionem, item jure Canonico, *c. dilecti. X. de arbitr. contra l. ult. C. de arbitr.* Dicit enim, *in mulierem poſſe compromitti.* Itaque femina poteſt feudum tenere, & juriſdictionem conjunctam feudo habet.

IV. De pupillo & minore quæritur, *An poſſint feudum acquirere?* Et conſtat, non poſſe acquirere jure Longobardico & Francorum. Durum quidem videtur eſſe, ſed nulla iniquitas vertitur. Nam donec pupillus eſt, feudi jus in pendenti erit, & tenetur præſtare dominus patientiam, donec pupillus ad juſtam

æta-

ætatem pervenerit; & tutores & curatores precario petere à domino debent, donec pupillus possit juramentum præstare. Quæritur, quæ censeatur legitima ætas? Nostris moribus scriptum est, ut censeatur legitima ætas, cum masculus vigesimum annum ætatis compleverit, femina verò, cùm decimum quintum. Sed quid si dominus nolit præstare patientiam? Cogi potest, ut interim precariò pupillo liceat possidere.

CAP. VII.

QVIBVS MODIS FEVDUM ACQIRATUR; ET *primum de* INVESTITURA.

I. NUNC dicendum, quibus modis Feudum acquiri possit. Obertus ait duobus modis feudum acquiri, investitura & Successione. *lib.* 2. *tit.* I. *de feud. cognit.* §. *ult.* Sed videtur sibi contrarius, cum ait, *Neminem feudum posse possidere nisi Investitura.* Sed hæc non sunt contraria. Nam in *titul. de feud. cognit. ait* duobus modis acquiri, *Investitura & Successione:* At in *lib.* I. *tit.* 26. *Quibus mod. Feud. constit. poss.* ait, *non posse constitui sine investitura.* Quia aliud est acquiri feudum, & aliud constitui feudum. Nam

per Sucessionem acquiritur feudum, non constituitur. Verbi gratia; Pater moritur, qui possidebat feudum, filius succedit; filius interim acquirit: sed nondum intelligitur constitutum feudum in persona filii, nisi investitus fuerit. Ergo rectè ait Obertus: *nullum feudum constitui sine Investitura.* Sed lege communi Francorum constat, quod defuncti possessio & dominium transferatur in heredem. Quæ consuetudo nata est ex Accursii sententia in *l.* 11. *de lib. & posth. in verb. quodammodo.* Cum ergo ex successione iam habeat, non intelligitur opus esse, ut corporalitur capiat possessionem heres. Sed nostro hoc jure Feudistico non intelligitur possessor fundi, antequam sit investitus à domino: quòd uno modo constituatur Feudum, scilicet per Investituram, vel quasi investituram: *tit, de Consuetud. rect. feud. in pr. lib.* 2.

II. Acquiritur autem variis acquirendi modis: Primum Investitura. Apud antiquum interpretem manuscriptum, *Investitura est proprius contractus.* Sed Investitura accipitur pro quadam appendicula contractus feudalis, non autem est principalis contractus. *Investiendi* verbum antiquum est. Nam plerique putant, non esse Latinum, ideo, quia non est relatum inter Latina in hac significatione. Sed ut contradicam, monet me contractus

anti-

ntiquissimus Emptionis. Nam in illius formula sic legitur: *Tu venditor fuste illum investito; tu emptor fustem illum manucapito.* Fustis igitur manucapitur, & hæc erat investitura. Investitura ergo est imaginaria venditio Obertus. *lib. 2. tit. 2. Quid sit Investit* ait: *Propriè Investituram esse possessionem: impropriè autem dici Investituram hastæ traditionem vel fustis.* Ex his apparet, fustis traditionem esse Investituram. Quasi investitura est, cùm nulla quidem intervenit fustis aut baculi traditio, sed solius domini patientia aut jussus, ut si dicat dominus; *Vade in possessionem illius fundi, & ipsum tene pro feudo. lib. 2. Tit. 33. de consuet. rect. feud. in pr.* Sed per veram Investituram acquirit quis potestatem cogendi dominum, ut mittat vasallum in possessionem. *lib. 2. tit. 7. de nov. form. fid §. fin.* Pro quasi Investitura habetur longi temporis possessio. Cum ergo vasallus possederit per triginta annos, non cogitur probare Investituram.

III. Testes in Investitura necessarii sunt, non propter solemnitatem, sed ob probatiouem. Requiruntur autem non quivis, sed Pares Curiæ vel Curtis, id est, jurisdictionis: & requiruntur duo vel tres, id est, oportet præsentes esse duos vel tres Convasallos eidem domino subjectos ratione feudi. Unde etiam dicuntur *Pares Franciæ*, non quod pares

ſint regi, ſed quod ſint duodecim vaſalli primarii Regis, & pares inter ſe. Sed ſi quis dominus paucos habeat vaſallos, ut non poſſint Pares Curiæ reperiri? adhibebuntur teſtes duo privatæ conditionis, ſi aliás pares non habeat. Ut tamen evitetur omnis difficultas, in Gallia ſunt quidam homines, qui dicuntur *Feudales*, qui ſunt imaginarii vaſalli, ut illis omnibus inveſtituris interſint, & hi habentur pro Paribus Curiæ.

IV. Præterea interdum ſolet de inveſtitura confici iuſtrumentum, quod Obertus *breve teſtatum*, id eſt, teſtationem in inſtrumentum, quod veteres *breve* appellarunt, redactam nominat. *lib.* 1. *tit.* 2. *de feud. Guard. lib. tit.* 4. *ſi de inveſt. feud. contr. fuer.*

V. Sed an vaſallus inveſtituram petere debet primo ſtatim die, vel intra quod tempus? Jure Longobardorum debet petere intrà annum & diem, ex quo apertum eſt feudum; id eſt, adire dominum, & ei polliceri fidelitatem, & inveſtituram petere debet. Et hoc in veteri. In novo feudo ſtatim adire dominum debet, *lib.* 2. *tit.* 32. *quit teſt. ſint neceſſar.* &c. Sed ſi intra annum & diem non acceſſerit dominum, amittit feudum, id eſt, conſolidatur feudum cum proprietate domini, *lib.* 2. *tit* 55. § *præterea ſi quis. De prohib. feud. alien. per Frederic.* & *lib.* 2. *tit.* 24. *quæ fuit*

cauſ.

cauſ. benef. amitt. Ante legem Frederici dabantur militi annus & menſis *lib.* 1. *tit.* 22. *Quo temp. inveſtit. pet. debet.* Sed moribus Francorum tempus conſtitutum eſt quadraginta dierum. *conſuet. Pariſ. tit* 4. *Biturig. tit.* 4. *c.* 9. Sed de feudo novo viginti dies moribus Biturigum præſcribuntur. *art.* 7. *eod. lib.* Sed pœna Francorum non eſt amiſſio feudi; ſed ut patiatur manus iniectionem & occupationem, id eſt, poteſt dominus occupare feudum & poſſidere tanquam ſuum, donec vaſallus veniat, & dominus interim faciet fructus ſuos. Si tamen dominus occupaverit, non faciet fructus ſuos, niſi ab eo die, quo occupavit realiter feudum. Hinc dicitur: ſi dominus differt, facit vaſallus fructus ſuos: ſi vaſallus dormit, facit fructus ſuos dominus.

VI. Sed ſi dominus renuat feudi inveſtituram vaſallo petenti? Hanc quæſtionem movet Accurſius *lib.* 2. *tit.* 3. *Per quos fiat inveſtitur.* aitque eandem æquitatem in contrario, quæ eſt in contrario, ſcilicet, ut dominus perdat jus feudi, ſi poſt petitam inveſtituram intra annum & diem non inveſtiverit. Sed hoc ſine lege dicit: æquitas tamen hoc ſuadet. Sed jure Longobardico nulla formula inſtituta eſt alloquendi dominum, qua petat feudum. Accurſius tamen fingit qualeſcunque, & quilibet

bet pro ingenio ſuo exquirere poterit, narratis tamen præcipuis ſolemnitatibus feudi.

VII. Poſt inveſtituram ſequitur juramentum fidelitatis incontinenti, priuſquam accedatur ad actum extremum. Hujus Sacramenti verba referuntur *in lib. 2. tit 6. De form. fidel. & lib. 2. tit. 7. de nov. for. fidel.*

VIII. Juramenti loco etiam intervenire poteſt præſcriptio triginta annorum, quæ licet interveniat, tamen neceſſe eſt, eum præſtare fidelitatem, *lib. 2. tit. 26. Si de feud. de funct. cant. fuerit. §. ſi quis per triginta.*

IX. In feudo igitur ſemper inveſtitura præcedere debet, fidelitas ſequitur ſtatim vel ex intervallo, prout domino placuerit. His duobus celebratis, Vaſallus habet poſſeſſionem.

X. Sed jure Francorum præterea duo ſunt neceſſaria, primùm ſolutio juris dominici, quæ varia eſt pro variis moribus; deinde exigitur editio inſtrumenti, quo demonſtretur quantitas & bonitas feudi. Jure Longobardico non requiritur hæc editio, niſi Accurſii fortè ſententia, qui hoc *titul. de proh. feud. alien. per Frid. §. illud. gl. ub. niſi.* requirere videtur.

XI. Inveſtitura fit aut de re allodiali, id eſt, quæ ante nunquam feudum fuit, aut de re feudali, quæ jam ante feudum fuit. De allodiali re fit inveſtitura dupliciter, vel gra-

tis & liberaliter, vel ob præſtationem annuam. Cum gratis & liberaliter de re allodiali inveſtitura fit, duobus id modis accidit: Aut dominus rem ſuam allodialem vaſallo dat titulo feudi, ut dominum ipſum in bello ſequatur & defendat, ejuſque uxorem, famam, liberos, tueatur, excepto ſemper honore Imperatoris & ſuperioris Principis.

XII. Altero modo fit inveſtitura de allodiali, cum infirmior perſona in tutelam alicujus Principis ſua allodia confert, & eorum dominium transfert in dominum, ſolo ſibi retento uſufructu, ſuisque ſucceſſoribus. Hoc caſu nulla pecunia intervenit noſtris moribus.

XIII. Præterea fit invſtitura ob certam præſtationem annuam, quod eſt contra naturam feudi; quia feudum eſt gratuitum. Inveſtitura feudi ſeu rei feudalis fit ex cauſſa Donationis, cum Vaſallus qui rem in feudum accipit, vult rurſus alii vaſallo dare. Id quod poteſt effici jure Longobardico (quamvis Accurſ. hæſitaverit in hac ſententia) modo id fiat ſine fraude legis atque ſincere, *lib. 2. titul. 55. de prohib. feud. alien. per Frid. §. illud quoque præcipimus. gl. verb. Alium vaſallum.* Sed jure Francorum non permittitur vaſallo de feudo alium inveſtire vaſallum, ei ſcilicet, qui eſt infimus vaſallus,

ſallus, quamvis gratuito fiat. Sed nec partem dare poteſt in feudum.

CAP. VIII.
DE SUCCESSIONE FEUDI.

I. SEQUITUR ſecundus modus acquirendi feuda per ſucceſſionem. Omnis autem ſucceſſio vel eſt ex teſtamento, vel ab inteſtato. Ex teſtamento feudum acquiri non poteſt, *lib. 1. titul. 8. de ſucceſſ. feud.* quia teſtator non poteſt alicui relinquere feudum, nec facere teſtamento, ut unus filius magis habeat in feudo, quam alter: non poteſt (inquam) hanc naturam feudi immutare, *d. tit. de ſucceſſ. feud.*

II. Ratio diverſitatis quæ ſit, quæritur, cum tamen cuique ſit libera jure civili rerum ſuarum adminiſtratio? Videtur æquiſſima ratio eſſe, ſi contemplemur naturam feudi: quia feudum nihil aliud eſt, quam uſusfructus, qui finitur morte vaſalli. Nemo autem quicquam poteſt ordinare de his, quæ finiuntur ac delentur poſt mortem, & quæ non eſt tranſmiſſurus ad heredes. Sed feudum non tranſmittitur ad heredes, ſed novandum eſt per inveſtituram à domino feudi. Interpretes

tamen legari posse feudum pro parte, tradiderunt. *Alvarot. Isern. & alii*, quod non est verum. Illi autem hoc ex jure Romano probant, *arg. §. Disponat. Auth. de Nupt.*

III. Ab intestato feudum defertur alio modo, quam jure Civili in allodiis succedimus. In eo enim quod Iustinianus tres ordines faciat, scilicet ascendentium, descendentium, & ex transverso venientium; differt hoc jus, quo tantum duo ordines faciendi sunt, scilicet descendentium & collateralium. Nam ascendentes non succedunt in feudo, quia nunquam retrograditur. Potius enim feudum ad fratrem quam ad patrem venit. *titul. 11. lib. 2. de success. fratr. vel grad. succedent. in feud.* Jure autem Civili pater vocatur cum fratre, *l. vlt. C. ad Tertul.* sed hoc non fit in feudo; quia natura constitutum est, ut filius succedat patri, non autem pater filio. Ergo primo ordine filii naturales & legitimi simul una cum præmortuorum filiorum nepotibus, qui succedunt in stirpes, vocantur æqualiter jure Lombardico. Hic ordo traditur *in d. tit. de success. fratr. vel grad. succedent. in feud.* Jure autem Francorum interdum in totum succedit primogenitus, interdum pro tertia parte, &c.

IV. Quod autem dicitur de Nepotibus, intelligendum est de his, qui per lineam

masculinam descendunt; quia fœminæ non succedunt, nisi specialiter sit cautum, vel feudum sit femineum, *lib. 1. tit. 24 Quemadm. feud. ad fil. pertin. & lib. 2. tit. 30. De Feud feminin.*

V. Adoptivi autem nunquam succedunt in feudum. *tit. 26. lib. 2. si de feud. defunct.* &c, §. *Adoptivus.* Naturales tantum nunquam etiam succdit in feudo, *d. tit. 26. si de feud. defunct.* §. *Naturales.* Et hoc procedit, etiamsi sint naturales legitimati, quod jure Civili aliter est.

VI. Quod dixi de filiis, accipiendum etiam de exheredatis. Quamvis enim hi non succedant in alia successione, tamen in feudo succedunt. Quod fit, non tanquam ex testamento, sed quia sunt filii. Neque enim pater potest filium hoc jure exheredare.

VII. Sed an filius posset se a patris hereditate abstinere, & succedere in feudo? Non potest. Et hoc differt filius ab agnato. Agnati enim possunt feudum agnoscere & reliquam hereditatem repudiare. *tit. 45. lib. 2. An agnat. vel fil. defunct.* &c. Ratio diversitatis hæc est: quod filius, ad quem tota pertinet hereditas, pro parte eam scindendo adire non potest, quod verum est ex *l. 1. de acquir. hered.* Ad agnatos autem non semper pertinet hereditas; quia accidit frequenter, ut

alius ſit ſucceſſor feudi, alius heredatis, cùm ſucceſſor reliquæ ſucceſſionis eſt proximior, & ideo excludit agnatum. Exempli gratia: Si Titius mortuus ſit relicta filia, fratre patruele, feudum quidem pertinebit ad fratrem patruelem, reliqua ſucceſſio ad filiam.

VIII. Secundo ordine agnati ſuccedunt in feudo deficientibus deſcendentibus in infinitum, ſed maſculi: Non tamen omnes, ſed illi tantum, qui deſcendunt à communi parente, qui feudum acquiſivit. *lib.* 2. *tit.* 11. *de ſucceſſ. fratr. vel grad. ſucced.* Verbi gratia: Avus Titii de novo beneficio erat inveſtitus. Titio ſine legitimo herede maſculo defuncto, patruus magnus Titii ſuperſtes volebat ſuccedere in feudo. Hic patruus magnus non poteſt ſuccedere in feudo, quia eſt quidem agnatus Titii, ſed non eſt agnalus deſcendens ex communi parente. Ergo non ſuccedit in feudo. Ex eo conſequitur, nec fratrem frati ſuccedere in feudo novo, ſi frater primum feudum acquiſierit. Quia, quamvis ſit ejus agnatus, tamen eſt tantum deſcendens ex eo parente, qui feudum non acquiſivit. *lib.* 2. *tit.* 11. *de ſucceſſ. fratr. lib.* 1. *tit.* 14. *de feud. March.* §. *ſi duo fratres. lib.* 2. *tit.* 14. *de fratrib. de novo benef. inveſt.* Cognati autem nunquam ſuccedunt. Hi enim feudorum ſunt incapaces, non minus quam feminæ, ſcilicet in feudo maſculino.

Neque

Neque ſuccedunt inter ſe in feudo maritus & uxor, ut jure Romano. Neque fiſcus ſuccedit deficientibus cognatis & aguatis, ſed dominus feudi.

IX. Diximus defuncti agnati feudum deferri proximo agnato, ſi deſcendat ex eodem communi ſtipite, à quo primum feudum fuerat acquiſitum. Cum ergo hoc ita ſit, videtur agnatus potius ſuccedere communi parenti, quam illi agnato; nec ſuccedere agnato, ut agnato; ſed tantum locum facere ſucceſſioni parentis communis, ut hoc caſu locum habeat quaſi Succeſſorium Edictum. Quia ſi agnatus, quam diu vivit, refutavit, eo agnato defuncto, nihilominus proximus ſuccedit in locum defuncti, quod probatur ex *tit.* 49. *lib.* 2. *de eo, qui fin. fec. agn. de feud. pater. item tit.* 5. *lib.* 1. *Quib. mod. feud. amitt.* item *tit.* 38. *lib.* 2. *de vaſall. qui contr. conſtit. Lothar. alien.* item *ex tit.* 39. *lib.* 2. *de alien. pater. feud.* ubi nominatim exprimitur, feudum paternum non poſſe refutari niſi agnatis conſentientibus, ad quos beneficium ab inteſtato eſſet venturum. Poteſt enim agnatus feudo renunciare. Idem dicendum, ſi pater cum viveret refutavit domino. Nam filius ſuccedit nihilo minus in feudo. Non enim ſuccedit tanquam filius, ſed tanquam nepos ejus, qui acquiſivit feu-

dum, nisi filius consenserit refutationi. Constat igitur, nullum vasallum posse fraudare heredes seu agnatos successione in feudo. Valet tamen refutatio eo vivo; mortuo autem, revertitur ad proximum agnatum. Quod autem diximus, intelligendum est de extraneis personis, quibus non potest refutare feudum, sed agnato potest, qui aliàs in feudo ei successurus esset. Itaque pater potest, cum vivit, feudum refutare filio suo. Et hoc casu cum ipse pater feudum refutavit, & filius præmoriatur, an filio pater succedit? Quidam Interpretes illud probant, nulla tamen ratione. Verum illud potest suaderi pro moribus utentium. Ut si filiæ detur feudum in dotem, & si filia moriatur sine descendente, quæritur, *an feudum revertatur ad patrem & matrem?* Respondeo quod revertatur. Similiter etiam hic est dicendum.

X. Feuda autem quædam sunt, quæ ad heredes non veniunt, ut sunt *Casteldiæ* & *Guardiæ*: Item majora, ut Marchia, Ducatus, Comitatus, & regalia feuda olim non deferebantur heredibus. Sed hodie hoc est usurpatum, ut succedant in his feudis. *Lib.* 1. *Tit.* 2. *& de feud. March. & lib.* 4 *tit.* 49. *de alien feud.* § *lib.* 1. *tit.* 13. *vult.* Item *feudum Soldatæ*, id est, præstationis annuæ, quod non propriè feudum dicitur. *lib.* 2. *tit.* 10.

Quis

Quis dicat. dux vel march. §. *Soldata.* Ideo autem dicta est *Soldata*, quia plerumque consistit in solidis, uti ea quæ dantur stipendiariis militibus, quæ non ttansferuntur ad heredes.

XI. Hactenus de Jure Longobardorum. In Jure Gallico, quod ad successionem pertinet, aliquando recedunt à Longobardico; quia in quibusdam Provinciis tam feminæ, quam masculi in feudo succedunt, & tam cognati quàm agnati, veluti moribus Biturigum & Parisiensium. Secunda differentia horum Iurium est, quod inæqualiter inter heredes feudum dividitur propter jus primogenituræ. Nulla autem est provincia in toto regno, quæ aliquod jus primogenituræ non agnoscat; sed quædam magis, quædam minus. Biturigum Provincia agnoscit tantum præcipuum castrum vel domicilium, quod jure Longobardorum non fit. In ceteris Provinciis est majus jus primogenituræ. Nam consuetudine Parisiensi habet primogenitus præcipuam domum, & dimidium solus feudum; cetera habebunt filii reliqui. Si verò duo tantum sunt filii, frater primogenitus accipit tres trientes, alter unam habet. Illo etiam jure nulla est prærogativa primogenituræ inter filias; præterea feminæ in transversali linea excluduntur, & ita demum vocantur,

cantur, non concurrentibus maſculis. At moribus Ambianenſium eſt maximum Ius primogenituræ; quia totum feudum primogenitus accipit, nulla parte proprietatis fratribus reſervata, ſed ſola quinta parte uſus fructus relicta, & cum moriuntur, revertitur ad fratrem primogenitum. Moribus Turonum etiam tota proprietas feudi pertinet ad primogenitum, relicto tantum triente uſus fructus reliquis fratribus.

XII. Tertia diſſimilitudo inter jus Longobardicum & jus Francorum eſt, quod jure Francorum ad ſucceſſionem vocantur cognati & agnati: modò illi deſcendant à communi parente, & in eo convenit inter jus Francorum & Longobardicum.

XIII. Quarta differentia eſt, quod inſtitui poteſt heres extraneus in feudo dimidio, etiam ſi teſtator habeat filios. At jure Longobardico omnis teſtandi facultas ſublata eſt. Moribus Pariſienſium & Pictonum aliorumque non permittitur heredis inſtitutio; at legare poſſunt vaſalli partem aliquam feudi. In ceteris omnibus conveniunt. Nam quemadmodum jure Longobardorum non aſcendit feudum, ita nec jure Francorum.

XIV. Ceterùm dicendum eſt, quale jus ſolvere debeat is, qui per ſucceſſionem feudum acquiſivit. Quod totum jus dominicum intro-

introductum est jure Francorum. Primùm in recta linea descendentes heredes nullum jus dominicum debent; & hic mos generalis est in omnibus Francorum provinciis; quia tunc censentur magis continuare dominium, quàm de novo acquirere, secundum rationem *l.* 11. *D. de lib. & posth.* In transversa autem linea debetur jus redemtionis vel Dominicum. Hoc jus variè appellatur pro variis Provinciis. In hac Provincia appellantur *jura redemtionis:* in Parisiensi & aliorum jure vocantur *jura relevationis.* Quæ etiam jura diverse æstimantur pro variis Provinciis. In moribus Biturigum jus redemptionis æstimatur, ut vasallus pro jure redemptionis liberetur solvendo reditum unius anni, illius scilicet anni, quo feudum est apertum per mortem testatoris vel defuncti. Hoc ideo solvitur, quia antiquissimo jure feudum tantùm ad descendentes pertinebat, *tit.* 1. *lib.* 1. §. *& quia.* non autem ad transversales. Franci autem hoc jus quodammodo retinuerunt. Quamvis etiam Obertus in uno casu redemptionem feudi exigat à filia, *lib.* 1. *Titul.* 24. *Quem admod. feud. ad fil. per.* quem casum Franci ad omnes casus retulerunt totius successionis transversalis. Moribus Parisiorum & vicinarum Provinciarum jus illud relevationis sic æstimatur, ut vasallus domino offerat unum

ex

ex tribus, certam quantitatem pecuniæ, vel quod boni viri arbitrabuntur, vel reditum unius anni: & electio est domini. Sed reditus trium annorum æstimantur, ut congerantur in unam summam, ut tertia pars domino præstetur. Singulare jus est in Provincia Uxellodonensi, ut primo gradu transversorum nullum jus redemptionis debeatur, sed inter ulteriores duntaxat, *tit. de Feud. in morib. Biturig. art.* 11. quod legi Corradi congruit. Moribus præterea quarundam Provinciarum debetur equus militaris, qui olim in specie solvendus erat, hodie redigitur ad summam aliquam pecuniæ.

CAP. IX.

DE RELIQUIS MODIS ACQUIRENDI FEUDI JURE *potissimum Francorum.*

I. TERTIO modo adquiritur feudum per vim bellicam, ut princeps potentior inferiorem dominum cogat, ut allodia sua jure feudi pòst ab illo teneat. quod factum est in Ducatu Britanniæ.

II. Quarto modo acquiritur feudum per dationem in dotem. Qui modus, quamvis possit

poſſit referri ad donationem, tamen rectius ad proprium modum acquiſitionis redigitur. Quoties ergo pater vel mater, avus vel avia filiæ in dotem dat feudum, datio hæc valet, & hoc caſu nullum jus redemptionis debet novus vaſallus; vel etiam, ſi pater dat favore matrimonii filio feudum; quia videtur ei filius ſuccedere in directa linea. Secus autem, ſi extraneus dederit feudum in dotem. Si autem frater ſorori det loco dotis, nullum quoque jus debebitur. *vt tit. de feud. morib. Biturig. art.* 17. Idem dicendum, ſi aliquis parentum det filio aut filiæ in prorogationem futuræ ſucceſſionis. Similiter ſi quis donet perſonæ, quæ aliàs ſucceſſura eſſet in feudo, veluti ſi quis habeat conſobrinum, qui ei ab inteſtato erit heres, nullum jus redemptionis debet. Idem dicitur in Compenſatione, vel Ceſſione, vel Refutatione feudi vel partis ejus. *tit. de feud. art.* 18. *in morib. Biturig.*

III. Quintus modus acquiſitionis feudi fit per donationem inter vivos, veluti ſi quis vaſallus de feudo ſuo alium vaſallum habens ita donat, ut remittat ſuo vaſallo omnem fidelitatem, & eum domino feudi in locum ſuum ſubſtituat. Hic caſus tam jure Longobardico quàm Francorum conceſſus eſt. Sed exiſtimo in *tit. de prohib. feud. alien. per*

Frid.

Frid. intelligi prohibitionem de non gratuita alienatione. Hoc autem caſu idem dicendum, quod ſupra retulimus, partem trium annorum deberi domino pro jure redemptionis: eamq; præſtare, non qui donavit, ſed cui donatum eſt, debet.

IV. Sextò acquiritur feudum per legatum in teſtamento, quæ ſpecies acquiſitionis probata non eſt ab Hortenſio *tit. de ſucceſſ. feud.* interpretes tamen hunc modum acquiſitionis admittendum duxerunt. *arg. Nov. de Nupt.* §. *diſponat.* per legatum ſcilicet poſſe teſtatorem de feudo diſponere. Quod & noſtris moribus conceſſum eſt, cum diſtinctione tamen moribus recepta. Aut enim legat quis feudum paternum, aut novum, quod ipſe acquiſivit. Poteſt autem legare paternum haud integrum, ſed tertiam tantùm ejus partem, in quibuſdam Provinciis quintam. In hac ſpecie acquiſitionis quæritur, cui incumbat ſolutio juris redemptionis ſive relevationis, utrùm legatario an heredi teſtatoris? Et generaliter dicendum, in omni donatione eum debere ſolvere jus redemptionis, cui res donatur; non eum qui donat, aut ejus heredem. Ita autem demùm donatario incumbit onus ſolvendi jura redemptionalia, cum gratuitò donatur feudum. Si autem cum onere æris alieni vel alio, tunc trans-

transfertur onus redemptionis ad heredes teſtatoris. In onerofis enim illis traditionibus legatarius comparatur venditori.

V. Septimus modus fit per Diviſionem hereditatis, quando ſcilicet heredes partes feudi inter ſe dividunt. Quo caſu nulla jura redemptionalia debentur, niſi permutuas adjudicationes alter feudum obtineat, & alteri in pecuniam numeratam condemnetur, ſicut accidit in feudis majoribus.

VI. Octavus modus fit per permutationem, quando aliquis ſuum feudum cum alterius feudo permutat. Hoc loco nullum etiam jus redemptionis ſolvendum eſt, ſi modo utrumque feudum ſubeſt uni eidemque domino, id eſt, ſi eſt in territorio unius domini; quia dominus non acquirit novos vaſallos, ſed ambæ perſonæ manent in obſequio domini: Sed ſi in diverſis ſint territoriis, hoc caſu debetur jus redemtionale, quia fit mutatio vaſallorum, *conſuet. Biturig. tit. de feud. art* 41. *Veromand.* 178, *art.* Item alio caſu in permutatione debetur jus redemptionale, ſi intervenit contributio pecuniarum, veluti ſi feudum permutem decem jugerum cum feudo viginti jugerum.

VII. Nonus modus per venditionem fit, qui modus eſt incognitus juri Longobardico, ſicut & alia quævis alienatio, quæ fit precio in-

interveniente, & hoc traditur *Titul. de prohib. feud. alien. per Frid.* Sed jure Francorum licita eſt venditio feudi, dummodo redimatur poteſtas venditionis aliqua pecunia. Tranſigendum eſt igitur cum domino Feudi, ut vendere liceat. Cumque in his acquirendi modis major ſit prohibitio, ideoque major ſumma pecuniæ redemptionis exigitur, quam in ceteris alienationis modis.

CAP. X.

DE ALIENANDO FEUDO.

I. SEQUENS locus eſt, *quibus modis feudum alienari poſſit*, & alius locus, *quibus modis feudum finiatur*. Reponſio eſt: Nullo modo alienari poſſe feudum Jure Longobardico, *Tit. de prohib. alien. feud. per Frid.* Nam veteribus conſuetudinibus feudorum non omnino libera erat alienatio feudi, ſed licebat partem ejus vendere, retenta videlicet alia parte; in quibuſdam tamen locis etiam totum alienare licebat, *lib.* 1. *Titul* 13. *de alien. feud. & lib.* 2. *Tit.* 9. *qual. olim feud. alien. poter. & lib.* 2. *Tit.* 44. *quid juris ſit, ſi poſt alien. frud. vaſall.* Poſtea permiſſa alienatio per libellum: poſtremo omnis alienatio prohibita eſt per Lotharium & Fridericum

cum. Hoc introductum jure Longobardico, conveniente cum vetere Iure Romano, quo ſtipendiaria & tributaria prædia non poterant per traditionem alienari §. 40. *Ins. de rer. diviſ. l. un. C. de uſucap. transformand.* Sed prædiis ſtipendiariis comparari poſſunt feudalia. Cum ergo generaliter ſit prohibita, conſtat neq; donari, neque vendi, neque legari, neque permutari, aut alio alienationis modo transferri poſſe feudum inconſulto Domino.

II. Sed nec feudum dari poſſe per libellum, id eſt, per libellum quæſito colore, ut fiat fraus venditioni. Alioqui per verum libellum poteſt alienari. *Libellarius* autem contractus eſt, *quando res aliqua in perpetuum locatur, modico precio, vel uno nummo annuæ penſionis nomine conſtituto.* Hic videtur eſſe *Conſenſualis contractus.*

III. Ut igitur ad propoſitum veniam, duplex eſt contractus libellarius, juſtus & injuſtus, id eſt, ſimulatus. Iuſtus eſt, quando nullum precium ab initio contractus ſolvitur, ſed juſta penſio annua definitur. Simulatus contractus eſt, quando is, qui accipit ad libellum, magnam aliquam pecuniæ ſummam clam & ſine inſtrumenti confectione numerat venditori loco precii, & ſingulis annis, inſtrumento confecto, promittit ſe nummum unum ſoluturum libelli nomine. Hanc duplicem libellaris contractus

Divisionem ex Hortensii verbis colligimus. Et simulati contractus libellus est interdictus, non autem justus, *Tit. de prohib. feud. alienat. per Frid. & Tit. qual. feud. alien. possit.*

IV. Quod dicimus de prohibita alienatione, idem dicemus in Divisione feudi, non posse feudum in plures partes scindi: quia Divisio videtur quædam particularis alienatio. Denique eadem ratio suadet, prohiberi Divisionem, quæ alienationem. Nam ideo prohibetur feudi alienatio, ne feudatarius spoliatus feudo, non possit sumptibus bellicis dominum defendere.

V. Excipitur unus casus, scilicet, quando feudum dividitur judicio familiæ erciscundæ inter heredes, *Tit. si de feud. defunct. §. omnes.* Nam hoc casu lex XII. Tab dividit herediatem. Ceterum alienatio fieri poterit consentiente domino, & hoc modo intelligenda est lex Friderici. Uno tamen casu invito domino alienatur, si agnato proximo alienatio facta sit, qui aliàs successurus esset. Et hæc alienatio comparatur refutationi, *lib. 1. Titu. 5. 17. lib. 1. Tit. 13. de alien. feud. lib. 2. Tit. 34. de L. Corrad.* Feudum autem novum licet alienare cum consensu domini: ed in paterno feudo requiritur etiam ad consensum domini consensus agnatorum proximorum. *lib. 2. Tit. 39. de al. feud. pater.*

VI.

VI. E converſo autem ſicut vaſallus non poteſt alium vaſallum in ſuum locum ſubſtituere inconſulto domino; ita nec dominus invito vaſallo vendere feudi dominium, ut *tit. de L. Corrad.* §. 1. Quod verum eſt, niſi dominus totam curtem alienaverit, *Lib. 2. Titul. 51. de cap. qui cur. vendid.* Hoc ideò fit, ne vaſallus cogatur duos dominos habere.

VII. Iure autem Francorum permiſſa eſt omnino alienatio, dummodò redimatur illa alienationis licentia certo precio, moribus definito. Ideo ſæpe pronunciatum eſt in Curia Pariſienſi, omnia feuda eſſe patrimonialia. Nam in Gallia dicitur id quis in patrimonio habere, quod poteſt eſſe in commercio. Id quod eſt intelligendum de iis modis, de quibus diximus in acquiſitione. Nemo enim poteſt acquirere per venditionem, niſi alius ſit, qui per venditionem alienet.

VIII. Poteſt etiam vaſallus dare pignori invito Domino, nulla imminente neceſſitatis redemtione. Poteſt item dare in Emphyteuſin. Quia per hos modos obſequium non amittitur. Licet autem *ludere de feudo*, ut proverbio Francorum dicitur, *uſque ab obſequium Domini.*

CAP. XI.

QUIBUS MODIS FEVDUM AMITTATUR ET FINIATUR.

I. NOLO ego hîc subtilem differentiam constituere inter *amittere* & *finire feudum*, ut Paulus distinxit in usufructu. *Finitur* enim usúsfructus, cum suâ naturâ finitur & extinguitur: *Amittitur* verò, cùm aliqua fructuarii culpa amittitur, veluti non utendo per modum & tempus. Sic etiam aliud est amittere & finiri feudum. Sed nos confundimus hanc differentiam, quia hodie feuda sunt perpetua. Igitur non finiuntur, sed amittuntur, de quo in *lib.* I. *tit.* 5. 17. *quib. mod. feud. amitt.*

II. Amittitur ergo feudum vel voluntate, vel casu, vel crimine, vel culpa, vel negligentia, Verùm culpam interdum generaliter accipimus sive pro culpa, sive pro crimine & pro negligentia.

III. Primùm amittitur feudum voluntate vasalli. Quod fit duobus modis: primum si vasallus sponte feudum domino refutaverit; item, si filio suo vel agnato refutave-

rit, id eſt, ceſſerit, *lib.* 2. *Tit.* 49. *de eo, qui fin. fecit agn.*

IV. Secundo, ſi vaſallus religionem ingreſſus vel clericus effectus ſit, *lib.* 2. *Tit.* 26. *ſi de feud. defunct.* §. *qui clericus.* & *lib.* 2. *Tit.* 36. *An mutus vel alias imperfect.*

V. Caſu deinde amittitur feudum, ſi res in qua feudum conſiſtit, chaſmate perierit. Nam ſine re non intelligitur feudum. Item caſu amittitur, ſi mutus vel ſurdus effectus ſit vaſallus. Tunc enim amittitur feudum; quia non poteſt ſervire domino. Hoc tamen caſu modicum ex feudo relinquitur vaſallo, unde ſe alere poſſit, *d, tit. An mut. vel al. imperfect.*

VI. Tertiò amittitur feudum crimine tam domini, quam vaſalli. Quemadmodum enim Feloniam committendo perdit feudum vaſallus: ita etiam dominus amittit dominium committendo Feloniam in vaſallum vel alium, *lib.* 2. *Titul.* 26. *ſi de feud. defunct. content.* §. *domino committente.*

VII. Si ergo vaſallus dominum aſſalierit, id eſt, manus injecerit in eum vel ejus filium, aut fratris filium hoc crimen vocatur *Felonia*: & hæc eſt ſpecies prima Feloniæ. *Tit. quib. mod. feud. amit.*

VIII Secundo modo per Feloniam amittitur feudum, ſi uxorem domini vaſallus a-

adulteraverit, aut ejus pudicitiam attentaverit, vel (ut ait) cucurbitaverit dominum. Idem dicendum eſt de filia domini & nepte, itemque de ſorore. De vidua domini an idem dicendum ſit? Plerique dixerunt, non amitti, quia vidua domini mortui non continetur titulo *(lib. 1. tit. 21.) de feud ſine culp. non amit. §: ſi quis miles.*

IX. Tertio modo Felonia committitur, ſi vaſallus arcanum domini revelaverit, ut noceat domino, *Tit. quib. mod. feud. amit.*

X. Quarta ſpecies Feloniæ eſt, ſi vaſallus dominum abnegaverit, cùm ab eo ter citatus eſſet, ut inveſtituram acciperet, *lib. 2. Titul. 24. Quæ fuit prim. cauſ. feud, amitt. & Lib. 2. Tit. 26. ſi de feud. defunct.*

XI. Quintum genus Feloniæ eſt, ſi contra dominum in criminali cauſſa teſtimonium dixerit, vel accuſaverit aut detulerit dominum, *lib. 2. tit. 33. de conſuet. rect. feud.*

XII. Sextum genus Feloniæ, ſi cum inimicis conjuraverit, *lib. 2. tit. 32. Qui teſt. ſint neceſſ. ad inveſt. prob.*

XIII. Septima ſpecies Feloniæ eſt, ſi vaſallus dominum nondum mortuum, nec letaliter vulneratum, deſeruerit in prælio campeſtri; quod tamen ad culpam pertinere poteſt, *Tit. quib. mod. feud amitt.* Octava ſpecies eſt, quæ etiam ad culpam referri poteſt,

ſi va-

ſi vaſallus in expeditionem proficiſcentem dominum non comitatus fuerit, ſi erat indicta expeditio, vel ſaltem ſtipendia ob eam cauſſam imperata & indicta non conſtituerit. Illa ſtipendia vulgò ut plurimùm taxantur medietate fructuum unius anni, & appellantur *Hoſtenditiæ*, *lib.* 2. *tit.* 40. *de capit. Corrad.* & *lib.* 2. *tit.* 55. *de proh. feud. alien per Frid.*

XIV. Quartò, culpa amittitur feudum, ſi alienaverit feudum contra legem Lotharii vel Friderici, *lib.* 2. *Tit.* 55. *de proh. feud. al. per Loth.* & *Frid.* & *lib.* 2. *tit.* 34. *de L. Corrad.*

XV. Item ſi vaſallus alia lege infeudaverit, quàm accepit, aut eum inveſtierit, ad quem feudum pervenire non poſſit.

XVI. Item ſi non indicaverit imminens vitæ periculum domino, quod etiam exemplum ad feloniam referri poteſt.

XVII. Item ſi libellario nomine amplius dimidio vel medietate alienaverit, inſcio domino. Libellarius contractus eſt ſimilis cenſuali: cùm res in perpetuam locatur ſub certa modica penſione. Nam licet ſalvo jure feudi mediam partem Libellario nomine, conſulto Domino, in feudum dare. Item ſi minus dimidia Libellario nomine alienaverit, & moriatur ſine heredibus, aut poſtea

domino refutaverit. Nam his duobus casibus revertitur feudum ad dominum, nisi novus vasallus vel Libellarii possessor paratus sit domino fidelitatem præstare, & eum agnoscere, *lib.* 1. *tit.* 5. 17. *Quib mod. feud. amitt.* §: *ult.* & *lib.* 2. *tit.* 9. *Qual. ol. feud. pot. alien.*

XVIII. Amittitur denique feudum negligentia, si vasallus intra annum & diem non petierit investituram, *Lib.* 2. *Titul.* 24. *Quæ fuit prima cauf. benef. amitt.*

XIX. Quæritur, *An si pater propter Feloniam amittat feudum, filius vel agnatus amittat feudum paternum?* Dicendum est hoc casu in perpetuum amitti feudum. *Lib.* 2. *Titul.* 31. *Si vasall. feud. privet. cui deferat.* Hoc ideo quæritur, quia jure civili aliud respondendum esse videtur. *l.* 8. §. *ult. D. de in jus vocand.*

XX. Interdum quasi amittitur feudum. Quasi enim amittitur feudum, quando aperitur, id est, quando vacat, sicut *hereditas* dicitur *vacans*, quæ non est quidem amissa, sed pendet. Sic & feuda aliquando aperiuntur, id est, cùm nullum habent possessorem, quo casu potest dominus jure dominii sui manum in feudum injicere, ut tantisper teneat id loco pignoris, donec novus vasallus investituram à domino petierit. Hoc

accidit

accidit uno modo jure Longobardico, quando per mortem vaſalli tranſmittitur feudum ad heredes ſive liberos, ſive agnatos. Nam inter tempus mortis & inveſtituræ cenſetur feudum aperiri & vacare.

XXI. Moribus Francorum quoties aperitur feudum, id eſt, quoties feudum deſtituitur perſona, veluti quando femina poſſidet feudum, nupta viro, ſtatim poſt nuptias aperitur feudum, & incipit feudum poſſidere vir, non tamen ante inveſtituram; & antequam inveſtiatur, intelligitur feudum apertum, & poteſt dominus in feudum manus injicere & fructus ſuos facere. Idem dicendum eſt, ſi vir deceſſerit, qui nomine dotali inveſtitus erat. Tunc enim feudum deſtituitur perſona, id eſt, aperitur. Opus eſt ergo nova inveſtitura, ſi mulier ſuperſtes illud poſſidere velit.

XXII. Aperitur ergo feudum, quando deſtituitur perſona: clauditur autem, quando nova perſona petit inveſtituram.

XXIII. Quibuſdam autem caſibus, quibus jure Longobardico amittitur, jure Francorum non amittitur, ſed tantum aperitur. Veluti ſi intra annum & diem non ſit petita inveſtitura, non amittitur feudum, ſed aperitur; quod tamen jure Longobardorum aliter deciſum eſt.

XXIV. Quemadmodum autem aliis modis, ut per Feloniam, feudum amittitur jure Longobardico, ſic & Francorum.

XXV. Neceſſaria tamen utroque loco eſt ſententia. Oportet enim vaſallum condemnatum eſſe, nec ſatis eſt crimen allegare. Verum Pares Curiæ non habent locum jure Francorum, cum apud Pares de crimine Jure Longobardicorum cognoſcatur.

XXVI. Hoc etiam intereſt inter jus Francorum & Longobardicum, quòd caſu non amittitur jus Feudorum apud Francos, ut ſi vaſallus fiat mutus, ſurdus, vel clericus, vel aliàs imperfectus. Nam his caſibus jure Longobardico amittitur feudum, *Titul. An ſurdo mut.* Sed jure Francorum propter ſuperveniens vitium, aut clericatum, vel Monachatum non amittitur feudum. Ratio diverſitatis eſt, quia receptum eſt moribus Francorum, ut poſſit quis per aliam perſonam feudo deſervire. Feuda enim hodie ſunt redacta ad patrimonia noſtra. Quemadmodum igitur has res per alium poſſumus adminiſtrare; ſic & feuda. Quæ duo jure Longobardico non erant permiſſa.

XXVII. In amittendo feudo quæſtio eſt de fructuum diviſione inter Dominum & vaſallum aut heredem vaſalli & heredem domini. Obertus hanc quæſtionem tractat in tit.

tit. 28. *Hic finitur lex.* §. *his consequenter. lib.* 2: *Si*, inquit, *ante Martium mensem moriatur vasallus, omnes fructus illius anni pertinent ad dominum.* Verum non tradit Obertus, quando initium sumat annus. Quia quando de fructibus agitur, incipit annus à Cal. Octob. quia tunc plenissima est perceptio fructuum. In dubio existimandum est, Obertum constituere initium anni initio Januarii. Vasallus igitur toto Januario & Februarii maxima parte vixit. discessit ante diem primum Martii, eo mortuo omnes fructus erunt Domini. Verùm Obertus intelligit omnes illos fructus, qui post mortem vasalli proveniunt. Quamvis enim vasallus aliquid severit, nihilominus fructus pertinebunt ad Dominum. Si verò post Cal. Martias usque ad mensem Augustum mortuus sit vasallus, quis tunc percipiet? Pertinebit ad heredes vasalli omnis fructus. Si verò post Augustum usque ad finem Decembris decesserit, fructus rursus pertinebunt ad Dominum. Ait tamen Obertus, quosdam aliter distinxisse: sed improbat illorum opinionem; ut scilicet, quocunque tempore vasallus decessisset, fructus pendentes essent Domini, quia fructus pendentes sunt pars fundi: exemplo fructuarii, qui cum mortuus fuerit, heredes ejus tunc demum fructus percipiunt,

percipiunt, si sunt à feudo separati, § 36. *Inst. de rer. divis. l. defuncta* 58. *D. de usufr.* Ratio differentiæ esse poterit, quia magis comparamus heredem vasalli bonæ fidei possessori, qui facit fructus suos, quatenus sevit & coluit. Itaque quando moritur vasallus mense Martio, iniquum esset auferri fructus heredibus vasalli, quia sumptus magnos fecit vasallus, & sic præjudicium fieret heredibus. Hæc sententia mihi videtur esse non absimilis Papiniani sententiæ in §. 7. *D. sol. matr.* quatenus videlicet fructus rei dotalis ad maritum vel heredes ejus pertineant, soluto matrimonio per mortem, vel per divortium nimirum ut pro tota parte ultimi anni, quo stetit matrimonium, fructus ad maritum vel heredes ejus pertineant, ut si matrimonium stetit uno mense illius anni, fructus unius mensis percipiat, reliquæ partes anni pertineant ad uxorem vel heredes uxoris. Sciendum autem principium anni constitui debere hoc casu à die dotis constitutæ. Veluti si Titius & Titia tribus annis fuere in matrimonio; his elapsis, divortium factum est: Dotis autem nomine Titius accepit prædium. Cal. Septembris solutum est matrimonium, maritus faciet fructus suos trium annorum. Finge autem solutum esse matrimonium sequentibus Cal. Octob. Quomodo fructus dividen-

dividentur? Quia ſcilicet matrimonium eſt trium annorum & unius menſis, fructus erit pro tota parte ultimi anni marito aſſignandus.

CAP. XII.

DE CONSERVANDO FEUDO; SIVE DE JUDICIIS *feudalibus; & primùm, ubi quis agere, vel conveniri debeat.*

I. SUPEREST nunc tractatus, ut de conſervando feudo dicamus. Conſervatur autem per actiones & exceptiones, & his deficientibus, per arma.

II. Priuſquam autem ad ſingulas actiones accedamus, prius dicendum eſt, Controverſiarum feudalium aliàs jure Romano, aliàs Longobardorum legibus, aliàs moribus & conſuetudine ſingularum Provinciarum decidendas venire, *Tit. de cog. feud.*

III. Primò autem Provinciarum, deinde Longobardorum jure utimur, tertiò ad jus Romanum confugere ſolemus. Sit igitur hæc regula: *Decidi cauſſam feudalem debere ſecundum conſuetudinem loci, in quo ſitum eſt feudum ſerviens, non autem dominans.*

IV. Sed hîc initiò explicandum eſt, apud

quem

quem quis conveniri debeat. Agitur autem de controverſia feudi apud dominum feudi, qui juriſdictionem habet feudo ſuo cohærentem & propriam, & hereditariam ac regalem. Sed *l.* 1. *&* 2. *de Judic.* dicitur contrarium, in omnibus actionibus conveniri tantum debere judices & magiſtratus publicos. Nam jure Romano nulla juriſdictio fuit perpetua; neq; prædialis. Eſt tamen hoc introductum jure Longobardico, *Lib.* 2. *Tit.* 51. *de Capit. qui cur. vend. Lib.* 1. *Tit.* 18. *Apud quem vel quos contr. feud. defin. Lib.* 2. *Tit.* 46. *An ap. jud. vel cur. dom. quæſt. feud. deb. termin. Lib.* 2. *Tit.* 55. *de proh. feud. alien. per Frid.*

V. Conſequenter illud oſtendendum eſt, prorogationem juriſdictionis jure Romano permiſſam, *l.* 2. *de Jud.* licebat enim conſentire in alios judices, hoc jure Longobardico, eſſe incognitam & interdictam. Ratio hujus prohibitionis fuit, quam refutavit *Io. Faber*, quia ſcilicet fit quædam injuria & damnum proprio judici, quando illi aufertur controverſia. Aufertur enim ei lucrum ſimul ſportularum & mulctarum, deniq; ſolent etiam judices noſtro more laboris ergô capere quandam ſummam pecuniæ quod præmium illis tunc auferetur, ſi prorogatio juriſdictionis noſtro more & Longobardico concederetur. Ideoq; interdicta eſt hæc conſuetudo

ſuetudo prorogationis. Hinc nec clerici in laicum judicem conſentire poſſunt, *c. ſi diligenti X. de for. comp.* Item è converſo non poteſt moribus Francorum laicus conſentire in judicem clericum, *in conſt. Reg. per Franciſc. Reg. latis*, quod jure Romano conceditur, *l. 7. cùm l. ſeq. C. de epiſcop. audient.* Huic etiam accedit, ne vaſalli poſſint in Regium judicem conſentire, relicto domini judicio.

VI. Quod autem diximus, *Dominum eſſe judicem controverſiarum feudalium*, in hoc diſtinctio eſt. Aut enim controverſiâ agitur inter duos vaſallos, & hoc caſu apud dominum feudi litigandum eſt, *Titul. de prohib. feud. alien. per Frid.* Aut agitur inter dominum & vaſallum, & hoc caſu diſtinguendum item eſt. Si controverſia inde naſcitur, quod dominus dicit, *vaſallum non eſſe vaſallum, ſe eſſe plenè dominum*; hoc caſu non agetur apud dominum, ne videatur eſſe judex in ſua cauſſa, *Titul. C. Ne quis in ſua cauſ.* ſed agendum eſſe quidam ajunt apud Pares Curiæ Dominicæ. Ceteri volunt agendum eſſe apud judicem ordinarium; quia Pares ſemper magis videntur favere domino, quàm vaſallo. Ceterùm ſi alia ſit controverſia, apud Pares decidenda eſt, id eſt, in Curia apud Pares, quod Longobardico jure obtinet,

obtinet, *in l. Longobard. tit. de Benefic. lib. 4.* Si autem ſint ſuſpecti, dominus quoſdam Pares eligere poteſt, deinde vaſallus totidem Pares eliget. *Lib. 2. Tit. 16. de controverſ. feud. ap. Par. terminand. & Lib. 2. Tit. 22. de mil. vaſall. qui cont. eſt.* Aut incidit controverſia inter dominum & vaſalli vaſallum, id eſt, extraneum, putà emptorem feudi, quo caſu actor ſequitur forum rei, cùm nihil cautum ſit jure Longobardico, *l. 2. C. D. Juriſd.* Sed jure Canonico hoc mutatum eſt, ſcilicet ut dominus cognoſcat, ſi paratus ſit cognitionem ſuſcipere, *c. ex tranſmiſſa & c. verum, X. de For competent.* Jure Francorum ſemper dominus judicat, nunquam apud Pares agitur. Aut lis oritur inter vaſallum aut alium extraneum, qui non eſt vaſallus, & hoc etiam caſu judex ordinarius cognoſcit; quia nihil hoc caſu diverſum eſt jure Longobardico. Ergo confugiendum ad jus Romanum, *Tit. de cognit. feud.*

VII. Dominus ſi agat adverſus vaſallum, & is in jus vocatus non venerit, evocandus eſt trinis edictis, qui ordo congruit juri civili. *l. 68 cùm 2. ſeqq. D. de judic.* Intra trina autem edicta ſingula dabitur ſpacium ſeptem vel decem dierum, arbitrio Curiæ vel prolixius vel anguſtius. Quod ſi non venerit, tunc Curia mittet Dominum in poſſeſſionem feudi.

feudi. Misso autem domino, si nec tunc intra annum totum venerit vasallus, ut contumaciam suam purget; Dominus plenæ proprietatis fiet dominus. Hic ordo congruit ordini juris Canonici, congruit etiam juri Civili. *l.* 8. *& Auth. seq. C. Quomod. & quand. jud.*

VIII. Si verò vasallus in dominum agit, veluti si dicat, *dominum nullum jus habere in Feudo*, debet dominum in Curiam vocare. Quo peracto, Curia debet admonere dominum, ut juri & Curiæ se committat, & respondeat vasallo, servata debita à vasallo reverentia. Si dominus id facere renuat, evocandus est trinis edictis; quibus peractis, si nec tunc juri se sistat, vasallus adire majorem ipsius domini debet; apud quem si nec tunc juri obtemperet, & contumax esse perseveret, id est, justiciam facere noluerit (ut dicit Obertus) tunc licet vasallo dominum deprædare, hoc est, vi & armis suum jus recipere, *Lib. 2. Tit. 22. de milit. vasall. qui cont. est.*

CAP. XIII.

DE ACTIONIBUS FEUDALIBUS.

I. ACTIO autem multiplex vaſallo competit, quo jus ſuum conſervat. Poteſt enim tam actionibus quàm interdictis, & actionibus, tam in rem, quàm in perſonam, ſe tueri.

II. In rem poteſt experiri, quæ *utilis vindicatio* dicitur, quæ ſimilis eſt actioni vectigali, *l. 1. ſi ag. vectig. Tit. de inveſt. de reial. en. fact.* Similiter & pro ſervitutibus competentibus habebit negatoriam & confeſſoriam actionem, *d. tit.*

III. In perſonam autem multiplices actiones habebit vaſallus. Primò agit ex contractu inveſtituræ, ut quod imaginariè traditum eſt per inveſtituram, realiter tradatur, quæ actio poteſt dici præſcriptis verbis, vel actio beneficiaria, exemplo actionis vectigalis, *l. ſi finita. 15. §. vlt. D. de dam. infect.* Habet etiam vaſallus actionem de evictione in dominum, ſi inveſtitus eſt ignorans in re aliena, ſecus ſi ſciens. Sibi enim imputabit, *arg. l. ſi fundum. 27. C. de euict.* Datur etiam ei condictio ex lege, veluti ſi vaſallus contra legem alienaverit feudum. Competit etiam

con-

condictio causa data, causa non secuta, si vasallus nolit obsequi domino, vel servire nolit, vel per longum tempus non servierit, *Lib.* 1. *Tit.* 22. *de feud sin. culp. non amitt.*

IV. Hîc quæritur, cùm agitur ad tradendum feudum, an Dominus cogatur præcisè tradere feudum, vel an liberetur eo dando, quod interest? Cogitur præcisè tradere feudum, *Tit.* 26. *lib.* 2. *si de feud. defunct. con. sit.* §. *si facta.* Agit etiam vasallus unde vi, & uti possidetis, interdictis contra quem libet possessorem.

V. More autem Francorum, præter actiones, potest etiam Dominus manus injectionem usurpare. Potest enim quidem agere, sed expedit ei magis, ut manus in feudum injiciat. Ideoque hodie raro domini in vasallos agent.

VI. Illud notandum est: In causis sive judiciis feudalibus nunquam jusjurandum calumniæ præstari, sicut & jure civili remittitur jusjurandum calumniæ patrono. Et hoc procedit tam in vasallo, quàm in domino feudi. Sed ratio, cur non possit dominus hoc juramentum à vasallo exigere, est, ut Hortensius ait, quia quod quisque juris in alium statuerit, ipse eodem jure utatur.

VII. Probationes fiunt, vel per testes, vel instrumenta. Instrumenta autem, de

quibus hic agitur, vocantur *brevia teſtata*, hoc eſt, quædam atteſtationes quæ teſtatione non habent plenam vim probationis jure Romano, *l. non nudis.* 14. *C. de probat.*

VIII. Denique teſtes, de quibus agitur alterius conditionis eſſe debent, quàm jure Civili, ſcilicet, non quivis teſtes admittuntur, ſed ii tantúm, qui ſunt ejuſdem Curiæ, ſi modò dominus habeat Pares. Aliàs ſi nullos habeat Pares, quilibet extraneus admitti poſſet, *Lib.* 2. *Titul.* 33. *de conſuet. rect. feud.* Interdum etiam ſi dominus habeat Pares, tamen extranei admittuntur, veluti ſi Pares abſuerint, vel ſi adſuerint quidem ſed jurare noluerint, aut jurati ignorare ſe dixerint, *Lib.* 2. *Tit.* 41. *de cont. int. dom. & fidel.* Eſt & alia exceptio, ubi teſtes etiam admittuntur extranei, ut in inveſtitura clericorum, *Lib.* 1. *Tit.* 26. *ſi de inveſtit. int. dom. & vaſal. lis oriat.* Pares autem fuiſſe ſufficit tempore inveſtituræ, licèt Pares eſſe deſierint. *Lib* 2. *Tit.* 19. *An remover. deb. teſt. qui par. eſſ. deſier.*

IX. Porrò quamvis jure Civili, actore non probante, reus abſolvatur, *l.* 23. *C. de probat.* in controverſiis tamen feudalibus id ſecus eſt. Nam debet interdum reus actore non probante juſjurandum ſibi delatum præſtare. Debet autem non ſolùm reus jurare, actore

actore non probante; ſed etiam duodecim ſacramentales adhiberi debent, qui idem cùm ipſo jurent. *lib.* 1. *Titul.* 4. *ſi de inveſtitur. feud. contr. fuer.* Verum hoc non requiritur ſemper. Duodecim Sacramentales ſunt ejuſdem domini vaſalli, qui eodem juramento tenentur. Sed in domino hoc non procedit; quia ſi vaſallus in dominum agat, nec probat; tunc vaſallo non probante, dominus abſolvitur ſine jurejurando, & ſine adhibitione duodecim Sacramentalium, *Lib.* 2. *Tit.* 33. *de conſuet. rect. feud.* §. *item ſi & Lib.* 1. *Tit.* 11. *de pign. dat. feud. quid jur. ſit. & Lib.* 1. *tit.* 2. *de content. int. me & dom. de port. feud. fratr.* Quod autem diximus in vaſallo, non perpetuò verum eſt. Interdum enim remittitur, ut ſi dominus agit in gaſtaldum. Interdum (ut quidam contra Hortenſium dicebant) ei qui defendit, ſufficit ſacramentum ſine Sacramentalibus, *Lib.* 1. *Tit.* 10. *de content. int. dom. & fidel. de inveſtitur. feud. & Lib.* 1. *tit.* 23. *de content. int. dom. & vaſall. item Lib.* 1. *tit.* 26. *ſi de inveſtitur. int. dom. & vaſall. Lis. oriat. & lib.* 1. *tit.* 18. *de uſu Mediolanenſ.* Quid igitur dicemus, ſi neque actor neque reus poſſidet feudum, cui incumbit probatio? Reſpondeo, actori, quia dicit, reus negat, *l.* 2. *de probat. c. ult. X. de jurejur. lib.* 2. *tit.* 33. *de conſ. rect. feud.* Sed ſicut

jure Civilii, cùm ſemiplena eſt probatio, adjungitur juramentum, *l.* 31. *D. de jureiurata* & hîc, *tit. de conſ. rect. feud.* Interdum accidit, ut reus probare debeat non actor, ſcilicet quoties actor veriſimili aliqua præſumptione juvatur. Verbi gratia: Si dominus agit in Gaſtaldum vel poſſeſſorem feudi Guardiæ, & poſſeſſor agnoſcat quidem ſe Gaſtaldum, excipiat tamen ſe tenere jam illud feudum tanquam proprium & rectum; quia hæc duo feuda impropria feuda ſunt, *lib.* 1. *tit.* 2. & *lib.* 4. *tit.* 14. *de feud. Guard. titul. ſi de inveſtitur feud. ſit cont.* præſumptio eſt pro actore, ideoque reus probare tenetur. Si verò ſemel probaverit, tunc rejiciet onus probandi in dominum. Similiter ſi dominus agat in poſſeſſorem, dicatque ſe dediſſe tantùm feudum pignori; contra verò reus pignori ſe quidem accepiſſe fateatur, pòſt autem pleno jure inveſtitum eſſe in feudo contendat: etiam hoc caſu incumbit probatio vaſallo, *lib.* 1. *tit.* 11. *de pign. dat. feud. quid iur. ſit.*

FINIS.

DE FEUD.

DE FEUDIS

CONSTITVTIO KAROLI III. IMP. CRASSI DICTI,

primùm edita; & exposita Commentario.

MARQUARDI FREHERI



ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS DOMINIS, GEORGIO & FROBENIO Comitibus in Helffenstein, Dominis in Gundelhingen, Imperialis Cameræ judicii Præsidibus dignissimis.

S. P. D.

ILLUSTRE antiquitatis Germanicæ monimentum, & ad illustrem Feudorum materiam illustrandam apprime faciens, nonnisi Illustribus inscribere visum, & inter hos vobis potissimum, Præsides generosi. Nam nec aliorum potius est de talibus judicare, quam eorum qui & à majoribus suis Imperii procerum pars sunt, & indolis virtutisque propriæ merito amplissimam eo in loco dignitatem obtinent, ubi de feudis pariter allodiisque quotidie & copiosissimè agitur, & gravissimè decernitur. In splendidissimo, inquam, Imperii tribunali, & Justitiæ theatro: quo nullum est aut fuit unquam ullo in imperio melius rectiusque constitutum: & à quo Areopagus ipse & Amphictionum consessus formam mutuari non erubescat. Accedit rata illa & singularis comitas vestra, qua immerenti mihi &

non ſperanti favorem benevolentiamque veſtram denuntiandam ultro putaſtis, ut generoſus BARO WINNEBERGIUS, ut eruditus SUINDIUS teſtes exſtant. Quam in tanta dignitate humanitatem niſi colam & exoſculer, niſi ſpontaneo & feſtinato aliquo officio veſtram de me benè merendi voluntatem præveniam, & gratum utique animum qua licet ratione probare ſatagam; opinionem ipſe de me veſtram refellere & minuere velle videar. Accipietis ergo benignè, quidquid eſt libelli: auctoribus quidem & materiâ (ut ut opella in eo noſtra patrocinium veſtrum requirat) tam facilè ab iniquorum morſibus tutum quam doctis bonisque pergratum & vobis igitur dubio procul acceptiſſimum futurum. Valete Patroni. Ex ædibus Plinianis, Kalend. Martii. Anno Salutis MDXCIX.

MARQUARDUS FREHERUS.

IN nomine *ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus divina favente gratia, Rex Francorum & Romanorum. Si prædeceſſorum noſtrorum morem ſequimur, non ſolum præſentibus ſed & ſuccedentibus ſubvenire nitimur. Hac de cauſa univerſorum cognoſcat experientia, qualiter dum pro noſtra conſecratione coronæque perceptione proficiſcendi tempus ad Apoſtolicam ſedem inſtaret, cum quûm multis principibus annum wormatiæ tranſegimus, ibique omnem Reipublicæ ſtatum utilem & honeſtum confirmare, nociuum atque contrarium radicitus extirpare decrevimus. Interim dum hæc agerentur, caſu contigit, principes cum militibus de Romana expeditione, quæ tunc inſtabat, acerbe contendere, conſtringentes eos multo plures halſpergas de beficiis ſuis ſibi ducere, quam illi fatentur ſe poſſe, vel jure debere. Sed quando hoc non ab aliquo anteceſſorum noſtrorum terminatum fuerit, duximus dignum, ut eorum altercationi finem commodum impo-*

imponeremus, atque decretum & certam aliquam legem ſuper omni Romana *expeditione concederemus. Statuimus ergo & decrevimus, cum conſenſu tam ſpiritualium quam ſæcularium Principum, ibidem nobiſcum aſſidentium, quando pro corona noſtra, vel aliqua regni utilitate aut honore,* Romana *expeditio à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris præparetur, ad omnium nobiſcum euntium præparationem annus cum ſex hebdomadibus pro induciis detur, & per totum taliter regnum fidelibus noſtris indicetur; Cuicunque autem ſecundum hanc legem eadem expeditio imperetur, ſi ad curiam* Gallorum, *hoc eſt, in campum, qui* Rungalle *dicitur, dominum ſuum non comitetur & ibi cum militari apparatu non repræſentetur; feodo (præter hos, qui cum gratia dominorum ſuorum remanſerunt) in conſpectu noſtro, abſque ſpe recuperationis privetur; Qui autem per hominum ſive liberi, ſive famuli dominis ſuis adhæſerint, quot decem manſos in beneficio poſſideant, tot brunias*

cum

cum duobus ſcutariis ſingulas marcas accipiant : & ſi eundo & redeundo cum hoc ſtipendio, ſine omni dominorum damno vel expenſa, niſi quantum ipſis dominis placuerit, fideliter ſerviant. Si autem fortè (quod abſit) accidat, ut iidem milites diverſos dominos propter diverſa beneficia acquirant, ne aliquod beneficium indebitum vel ſine ſervitio remaneat, ſinguli ſingula debita ſingulis dominis perſolvant: videlicet, quantum ab ipſis, ſi irent, accepturi erant, tantum ſe daturos cognoſcant; vel in præfato loco (ut dictum eſt) feodum amittant: ſed ſtipendia, niſi voluntate dominorum, non prætermittant. Similiter de Eccleſiarum filiis vel domeſticis, id eſt, miniſterialibus, vel quorumcunque Principum clientela, qui quotidie ad ſerviendum parati eſſe debent, ſtatuimus, ut quicunque, quinque manſos in beneficio poſſideant, domino ſuo, ad quem pertinent, bruniam cum uno ſrutario ducant. Et hoc in arbitrio dominorum pendeat, quos ducant,

cant, à quibus ſtipendia accipiant, quibus halſpergas concedant. Ipſis & ad itineris præparationem quinque libræ ſuæ monetæ in ſtipendium tribuantur; & duo equi, unus currens, alter ambulans, addatur, ac duobus ſociis ſoumarius victualibus bene oneratus committatur, qui ab ipſis ad opus dominorum diligenter cuſtodiatur. Ipſi quoque in dominorum tam diu vivant procuratione, quam diu in incepta vadant expeditione: & quicquid à rebellibus Regni pugnando acquiſierint, partes duas ad dominos deferant, tertiam ſibi pro conſolatione retineant. Quos autem non paſcunt domini, ad ipſos reportant tertiam partem acquiſiti ſui. Singuli vero Principes ſuos habeant officionarios ſpeciales Marſalcum, Dapiferum, Pincernam & Kamerarium: Qui quatuor quanto plus ſunt laboraturi, tanto plus in ſtipendio, in veſtitu, in equitatu, præ cæteris ſunt honorandi ſcilicet, & unicuique iſtorum, decem libræ cum tribus equis tribuantur: quar-

tus

tus Marſalco addatur: quorum unum ad præcurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad ſpatiandum, quartum ad loricam portandum. Iſti vero tales remanere cupientes, ſi apud dominos impetrare valeant, quot manſos poſſideant..... monetæ, vel totum fructum feodi in illo anno pro ſtipendio perſolvant. Ut autem noſtrum imperium ab omnibus habeat ſuplementum, hoc conſtituimus & firmiter præcipimus, ut ſingul. buringi decem cum duodecim funibus de canapo ſolidos dominis ſuis impendant, & in ſuper ſoumarium cum capiſtro concedant, quem ſi domini voluerint, ipſi ad primam navalem aquam usque perducant. Manſionarius quinque ſolidos: Abſarius triginta denarios: Bunajarius quindecim; quorumlibet larium poſſeſſores ſex ſuppleant. Et ut hæc noſtri decreti auctoritas, inviolabilem & incorruptam in Dei *nomine apud omnes ſucceſſores noſtros obtineat emunitatem, cunctis principibus qui aderant aſtipulantibus, manu propria ſubter eam*

robo-

roborare decrevimus, & annuli nostri signo assignari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Hernustus notarius ad vicem Lutwardi cancellarii recognovi. Data *VIII. Idus Iunii, Anno ab incarnatione Domini N. I. X. DCCIXC. Regni autem ejus XXII. ante consecrationem. Actum Wormatie feliciter. Amen.*

Vide Notas Marq: Freheri?

MARQUARDI

MARQVARDI FREHERI
COMMENTARIVS.

PROCERUM & Vaſallorum Imperii omnis ordinis officium, & ſervitium Imperatori debitum, vel primum hoc eſſe, ut Regem Romanorum ab Electoribus creatum, & ſolenni ritu Romæ in Auguſtum conſecrandum & coronandum, honoris & majeſtatis ergò illuc comitentur nemo tam hoſpes apud nos eſt, qui ignoret. De eâ profectione multa in ipſis Feudorum libris mentio extat: quam ibi Lotharius & Fridericus *feliciſſimam ſui numinis expeditionem* vocant, imitatione Honorii Imp. in *l.* 10. *&* 11. *Cod. De ſacroſ. Eccleſ.* Ut autem Cæſarem Principes & Proceres, pro nexu ſuo, quo Imperio tenentur, comitari debebant, majori aut minori numero & apparatu, pro principatuum & feudorum ſuorum ratione; ita ipſi rurſus clientes & beneficiarios ſuos in profectionem hanc comites & aſſeclas, trahebant, ſimili proportione beneficiorum facultatumque habitâ. Quæ illorum ſequela noſtrate ejus ævi voce *Hoſtenditiae* dicebatur ut mox exponemus. Duravitque inſtitutum per aliquot jam ſecula, ad

patrum uſque memoriam; donec eam unctionem & coronationem, ut ſuperfluam & gravem, Cæſares ipſi inſuper habere cœperunt, *Electi Imperatoris* titulo contenti. Fueruntque ſuperiori ævo eam in rem vires totius Imperii, ejusque ordinum ſingulorum, majorum, minorum, medioxumorum, ſigillatim conſignatæ in eam quam *Matriculam Imperii* vocamus. Ne jam de illa Romanâ expeditione, ex publicis Comitiorum actis cuivis obvia, hoc loco cum tædio repetamus.

Id pervetus adeò inſtitutum eſſe, à Francorum uſque temporibus receptum, & modum jam tum Hoſtenditiis datum, vetus hæc noviter reperta Carolina conſtitutio fidem facit. Quam quidem hactenus ignoratam & ſepultam, nuncque primum in lucem revocatam magno viro, & (quod unum dicere poſſum) præconiis noſtris majori, *Marco Velſero*, Exconſuli & Septemviro Auguſtano, grata poſteritas debere ſe nobiſcum lubens fatebitur. Eam enim in codice manuſcripto bene veteri, in quo cum Bojorum leges illæ calcæ, tum ſacra quædam continebantur, primus invenit, fideliter deſcripſit, liberaliter nobiſcum communicavit. Idemque ſubdubitantem me, & cum ob alia, tum *Feodi* vocem (quam equidem tam anti-

quam

quam esse absque hoc nunquam credidissem) in suspicionem falsi, aut saltem interpolationis diploma vocantem, auctoritate sua confirmavit, & dubitatione omni liberavit; voculam ullam à mala manu esse vix me suspiciaturum asserens, si autographum, unde descripsit, oculis inspicerem. Quamvis jam satis ipso rerum verborumque genere veritatem suam tueri poterit apud eruditos, qui ejus seculi, quo natum est, sermonem geniumque cognitum habent. Quod nos vix multo tandem studio consequuti, tam illustre antiquitatis Germanicæ monumentum (quo nullum ad rem Feudalem illustrandam aptius ab eo tempore, quo Feudorum libri manibus hominum teruntur, in lucem venit) neque ab eo, ad quem propriè pertinet, loco exclusum diutius relinquere, neque nobis in id observata (quantum quidem hactenus in eo enucleare potuimus) publico invidere voluimus.

KAROLUS] Cum simpliciter ponatur, non addito *Secundus*, vel *Tertius*, non est quod quis ideo ad *Magnum* referat. Obstant fortasse alia etiam; sed illud validissimè, quod *Antecessorum Imperatorum* meminit, eo quidem modo. Sed nec ad *Quartum* detrahi se patietur, ut prima fronte aliquis putet, qui multa ab illo Cæsare super hac expeditione

Romana in *Aurea Bulla* ſancita videat; neque tamen illius ſæculi & hujus diverſitatem in rebus verbisque cognitam habeat. Sed ex ſubſcriptoribus rectiſſimè de tempore conſtitui poterit; ex quorum nominibus, aliisque conjecturis aliquidò probabimus, Carolo tertio Ludovici Regis F. *Craſſo* dicto, eſſe adſcribendum.

Rex Francorum & Romanorum] Nondum Aug. & Imp. ante conſecrationem, ut eſt in ſubſcriptione.

Proficiſcendi tempus] quod Regino, Trithemius, Aventinus, Mutius, Sigonius ad annum Domini DCCCLXXXI referunt.

Annum Wormatiæ] Comita agendo. ubi Boſo ille, regii nominis per Burgundiam uſurpator, ſe dediderat, aliaque tranſacta fuerant, quæ Aventinus refert. Sigonius lib. V. De regno Italiæ: *Craſſus firmandi regni cauſa Kal. Nov. anno* 882. *conventum Wormatiæ habuit.* Non omittam hoc loco Karolum Magnum, eo ipſo, qui huic diplomati adſcriptus cernitur, anno, (ſed malè, ut docebimus) eodem in loco reſediſſe, quod optimi illi annales Pithœani docent: *Hic annus à bellorum motibus quietus fuit, quem Rex apud Wormatiam tranſegit.*

Principes cum militibus] ſubvaſallis ſuis. Nam Principes & Comites, qui Vaſſi & Capitanei

tanei ſunt Imperii, militibus & equitibus de ſuis feudis aliquid largiendo, vaſallos & valvaſores ſibi faciunt, eaque beneficia Feudi jure optimo cenſentur. At quicquid hi in alios deinceps de ſuis feudis gratuitò conferunt, quos *valvaſinos* vocant, id Feudi jus & vim non habet; ſed precarii ſimplicis inſtar, etiam absque illorum culpa, à dante ad lubitum revocari poteſt, *lib.* 1. *Feud. Tit.* 16. Niſi (quæ exceptio hunc ad locum pertinet) hi valvaſini, ſuos illos ſeniores in hac expeditione & exercitu Romam comitati ſint, *lib.* 1. *Tit.* 1. *in fi.* & *tit.* 7.

Acerbè contendere] Quam contentionem etiam ſequentibus temporibus frequenter incidiſſe, apparet ex Lege Lombard. *lib.* 3. *tit. vlt. cap. vlt.* & *Feud. lib.* 2. *tit.* 55.

Plures halſpergas] Diu multumque hæc me vox exercuit, quam nec alibi legi, audivi, nec doctiſſimis amicorum conſultis diſcere potui. Obſervans animo ſimilis compoſitio in *Halebreda*, *Halebarde*, *Halecret*, quin & *Helmo*, & *Heaulme*, atque adeò *Haubert*, ad communem *Haleſperga* cum illis fontem me tandem deduxit. Nam *Alberga* Italorum, & *Esberge* vel *Heberge* Gallorum nihil huc facit. Jam igitur expedio, Halſpergam priſcè & propriè eſſe thoracem vel loricam, ſive ex laminis compactam, ſive ex annulis orbicu-

lisque contextam, quam Franco-Galli adhuc *Haubert*, *Hauberge*, & *Haubergeon* appellant. Unde vetus proverbium illorum : *De maille à maille on faict le haubergeon*, id est, ab annulo ad annulum tandem conficitur lorica, atque adeò cataphractus. Est autem vox vetus Francica, seu Germanica, quam usu quidem desitam, tamen in libro veterum Cantionum, *Heldenbuch* inscripto, frequenter legimus.

Parte I. *Ottnit der sprach mit listen,*
Noch bin ich unge Werth,
Dich kan doch nit gefristen,
Dein halsperg und dein schWert.

Et postea: *Mit Zuchten (sprach der Kleine)*
Du bist niet eins Weibs Wert,
Was Woltestu so reine,
Fuhren halsperg und schWert.

Et mox: *Da sprach der Lampartere,*
Ik bin noch unge Werth,
Geh und bring mir doch here,
Mein halsperg und mein schWert.

Et parte II. *Da entstrikt sie den herren,*
Die fraWe lobesam,
Schild und sein schWert mit ehren,
Helm, Halsperg sie da nam.

Et parte III. *Da diese starke Recken guet,*
Wol Zu den streit kamen gesprungen,
Ire halsperg gar laut erklungen.

Et ne etymon etiam nesciamus, sic dicta quasi

quasi munimentum colli, quæ collum tegat (id enim est *bergen*, quâ formâ Saxones dicunt, *se sind geborgen*, servati sunt è periculo) eadem compositione, quâ galeam idem ævum *Hauptach* dixit, quod tecti instar sit vertici. Eodem loco:

Ich gib dir furste Werde,
Ein guetes haubettach,
Das man auf aller erde,
Kein bessers nie gesach.
Wem es auch ist erlaubet,
Das er den Helm ausstreit,
Dem kieset man sein haubet,
Ein gantze raste breit.

Halspergas igitur tot ducere, tot est cataphractos & loricatos ducere, in quibus splendor & robur totius agminis præcipuum. Livius lib. XXXVII. *His tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adjunxit.* Historia Miscella lib. XXI. *Usque ad viginti schaphas remanserunt, habentes centenos loricatos ad has custodiendas.* Et lib. XX. *Misit tria millia loricatorum ad circumdandum eum ne fugeret.* Pro loricatis porrò etiam *loricas* μετονυμικῶς scriptores nostri amant dicere; & promiscuè modò illos, modò has vocat Helmoldus in historia Sclavorum, lib. I. c. 88. *In hunc modum rebus compositis profectus est Dux in Langobardiam, cum mille (ut ajunt) loricis,*

ricis, habens in camitatu suo Adolphum Comitem. Et lib. 2. c. 13. *Filius quoque Regis ex concubina natus, Christophorus nomine, cum mille (ut ajunt) loricis venit Aldenburg, & perusserunt maritima ejus.* Idem c. 52. *Elegit de exercitu mille loricatos, abiitque in occursum exercitus.* Antonius Florentinus par. 2. tit. 6. c. 13. *Inventi sunt habere peditum sexcenta millia: equitum verò loricatorum centum millia.* Et lib. 17. c. 8. *In solo domini Imperatoris comitatu equitum loricatorum erant ad septuaginta millia, absque peditum copiis.* Hinc feudum Loricæ, apud Sigebertum anno MCLX de expeditione Henrici Regis, qui locus multum huc facit: *Rex igitur Henricus iturus in expeditionem prædictam, & considerans longitudinem & difficultatem viæ, nolens vexare agrarios milites, nec burgensem, nec rusticorum multitudinem, sumptis sexaginta solidis Andegavensibus in Normannia de feudis uniuscujusque loricæ, & de reliquis omnibus, tam in Normannia, quam in Anglia, sive etiam aliis terris suis, capitales barones suos cum paucis secum duxit, solidarios verò milites innumeros.* Est autem id feudum, quod militi assignatur ea lege, ut ad edictum præsto sit in armis loricatus, sive cataphractus. Quod feudum Haubertícum, *fief de haubert*, Franci & Normanni etiamnum vocant, ut legimus

Consuet. Normand c. 85. *Celuy qui tient fief de haubert, doit deservir son fief par pleines armes, par le cheval, par le haubert, par l'escu, par l'espèe, par le heaulme.*

Antecessorum nostrorum] Karoli M, Ludovici Pii, Lotharii, Caroli Calvi, Ludovici Balbi. Qui tamen omnes in Urbem ad Augustum nomen adipiscendum cum selectis copiis profecti fuerant.

Concederemus] Fortè rescribendum, *conciperemus.*

Pro corona nostra] argenteâ Mediolani, aureâ Romæ accipienda, ferrea jam Aquisgrani à Coloniensi antistire accepta. Qua de re Pet. de Andlo in lib. de Romano Imperio ad Fridericum Imp. (auctor, ζὺν θεῷ, per nos edendus) lib. 2. cap. 6. latè agit, & liber Ceremoniarum Pontificalium; necnon Alciat. in libello De formula Rom. Imperii.

Regni utilitate vel honore] Pro conservatione Italiæ, Apuliæ, Liguriæ, pacatione rebellium. Nam in bellum sacrum contra infideles non nisi voluntarii ibant.

Nobiscum euntium] Hi qui sint, exponit vetustissimus auctor de Beneficiis, §. 12. *Rex, quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordinari, secum ibunt de jure sex Principes, qui primi sunt in ejus electione, ut pateat Apo-*

ſtolico Regis juſta electio & §. ſeq. *Ibunt illuc & alii omnes imperialia beneficia habentes, quisque cum domino ſuo, niſi talento decimo ire redimat*; Sed tamen cis-Salani præcipue. §. 10. *Omnes trans-Salani in beneficiatum in parte orientali ſerviant, in Poloniam, Slaviam, & Bohemiam.* De quo alias commodius.

Annus cum VI hebdomadib.] Idem auctor §. 9. *Regis juſtum ſervitium à Domino ſuo ſententialiter præceptum, anno & ſex hebdomadis ante diem expeditionis in duorum hominum ſuorum audientia, ſerviat (inquam) ex juſtitia intra terram Teutonicam Romano regno ſubditam.* Et §. 14. *Hæc expeditio prius tribus diebus & anno & ſex hebdomadis ante diem expeditionis cuilibet ex juſtitia erit intimanda.*

Indicetur] mox *Imperetur.* Auctor de Beneficiis, *Sententialiter præcipiatur.* d. §. 9. & §. 56. & §. 108. Hæc indictio ſcripto aut voce præconis fiebat, quæ & *Bannus* illâ Latinitate dicebatur, & mulcta emanentis *Heribannus.* Et indicebatur in duorum hominum ſive comparium præſentia, ut d. §. 9. & lib. 2. Feud. tit. 54. *Si de vocatione legitima à domino ſuo convinci per compares ſuos poterit, feudum perdat.*

Curiam Gallorum] Sic Latinè expreſſit nomen loci *Rungalle. Roncalias* poſteriores dixere. Manſitque inſtitutum hoc rigidè, à

Fran-

Francis ad Saxons & Suevos propagatum, Conradi etiam, Lotharii, & Friderici ævo, ut ex libris Feudorum apparet. Otho Frisingensis lib. 2. c. 12. *Est autem consuetudinis regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescunque ad sumendam Romani Imperii coronam militem ad transalpisandum coegerint, in campo Roncaliæ super Padum, non longè à Placentia, mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium ad excubias, proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur, quod sequentes qui in ejus comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprehensus fuerat, denuo ad præsentiam Regis aliorumque Principum, vel virorum illustrium evocatur, sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur.*

Guntherus libro 11. Ligurini ita exprssit:

Roncaliam properat rapidis attingere castris,
Hîc quoties claram regnator tendit ad urbem
Teutonus, Ausoniam sumpturus ritè coronam,
Ponere castra solet. Ligno suspenditur altè
Erecto clypeus, tunc præco regius omnes
Convocat à dominis feudalia jura tenentes.
Excubias Regi primâ celebrare fideles
Nocte vetustorum debent de more parentum.

At

At quicunque domi domino nolente relictus
Defuerit, ſeudo privari curia cenſet.

Feodo ſuo] Hanc vocem non credebam tam antiquam, ſed Friderici demum ævo cum uſibus & conſuetudinibus illis natam. Perlegi tot diplomata, tot veteres memorias, *Feudum* nunquam, *Beneficia* ſemper inveni. Habeo librum de Beneficiis antiquum, Conſuetudinibus illis vulgatis vetuſtiorem; nimirum cum penes Saxones Imperium eſſet, ſcriptum; quem cum primum otium erit (Deo juvante) in publicum dabimus. In eo nec ſemel *Feudi* vox, nec *Feudalis*, nec *Infeudati*; ſemper *Beneficii*, *Beneficialis*, *Inbenificiati*; ita conſtanter, ut ſi vox altera ignota prorſus fuiſſet. Nunc credo fide hujus diplomatis, eſſe antiquiorem: quæ tamen (quod mireris) nec ſemel in totis Legibus Carolinis apparet. Poſtea demum ſub Henrico IV. occurrit apud Abbatem Stadenſem, ita ſcripta, *Phoedum*, ut in Chronicis Flandriæ ſub Wilhelmo Imperatore *Foedum*. Sed de his aliàs pluribus.

Qui cum gratia] Otho dixit, *bona voluntate dominorum*. Guntherus; *Domino nolente relictus*. Hinc & infra: *quibus halſpergas concedant*.

Privetur] Iudicio curiæ (ut Guntherus ait)

ait) condemnatur, ait Otho. quod notandum ad Feudistarum contentionem, utrum sententia privationis requiratur.

Per hominum] Delendum *per*, vel scribendum, *per hominium*, id est, vigore debiti & officii sui.

Adhæserint) In comitatu hujus expeditionis, ubi à latere dominorum (ut sic dicam) non recedent.

Quot mansos) Mansum variè exponunt. Aventinus *lib.* 3. hubam & mansum, quæ bigis aretur; curtim & hosam, quæ quadrigis. Amerbachius putat esse jugerum, & quasi à mensura mansum dici: quem sequitur Hotomannus, inductus consonantia vocis *Mansmat.* Rectè Cujacius & Pithœus, esse prædium, fundum, heredium, unde tueri colonus se & familiam commodè possit, ac insuper vectigal & censum domino præstare. Idque ex Capitularibus & monumentis omnibus Carolinis abundè apparet. Denique *mansum* & *curtem* promiscuè dicit ipse Gerardus, *de Feud. lib.* 1. *tit.* 1. §. *si quis de manso.* Nec potest esse feudum inferius uno manso, vel saltem dimidio, ut tradit auctor ille *De Benef.* §. 37. *& tit. De ordine placitationis.* §. 58.

Tot brunias) Suprà dixit *loricas*, sive *halspergas*, pro loricatis; nunc *brunias*. Idem autem

autem eſt *Brunia*, veteri Franca & Saxonica voce, quam adhuc legimus in cantilenis illis veteribus & fabuloſis, *Im Heldembuch*:

Darumb Wil ich euch geben,
Ein brinne Wunneſan,
Die kein Herr in ſeim leben,
Nit beſſer mag gehan.
Wol achzig tauſent marcke,
Iſt dieſelb Brinne Wert,
Zu dem geſchmeid vnd ſtarcke,
Gib ich euch ein gut ſchWert.

Et parte II. *Sie kundten helme haWen,*
Vnd auch die Brinne gantz,
Das man ſie muſt aanſchaWen,
Mit manchen Weiten ſchrantZ.

Et parte IV. *Nun legen võ euch das ſtreige wãt,*
Helm vnd ſchild wol von der hand.
Die ſchwert vnd auch die Brinne gut,
Ir ſeit vor ſchaden wol behut,

Et manſit vox Gallis, *Brunie*, loricam, ſive thoracem totamque adeo armaturam ſignificans. Nam quod in Lege Lombarda libr. 3 ſcriptus eſt titulus XVII. talis: *De bruacis* (*bruneis* legendum, quod & in margine invenies) *extra noſtrum regnum non vendendis*; tali lege Karoli Imp. ſubjecta: *De bruneis ut nullus extra regnum noſtrum vendere*
præſumat

præsumat. Et congruit Romanæ *legi ult. Cod. quæ res export. non deb.* Id ipsum (inquam) in Capitulari lib. 6. c. 212. ita est: *Ut armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus.* Et Addit. lib. 4. cap. 94. *De loricis extra regnum non vendendis. De bruniis, ut nullus foras nostro regno vendere præsumat.* Ubi Pithœus in Glossario locum nescio unde petitum addit, apprimè hûc facientem: *Ut omnis homo de XII. mansis bruniam habeat.*

Duobus scutariis) An scutis duobus, quorum uno perforato vel dissecto alter supersit; an vero armigeris, *schutzen*, non liquet. Hoc notemus, ut *feudum loricæ* Gallis dictum suprà tetigi, ita *scutagium*, id est, servitium scuti Anglis. *Feuda Scutiferorum* appellantur etiam apud Ardizonem. *Cujac. lib. 4. tit. 74.* Ut feuda Vexillorum, *Vahnlehen, Banderetz, banneretz.*

Scutariis singulas) Suspicor hic esse lacunam, & legendum: *Tot brunias cum duobus scutariis ducant, & in singulos singulas marcas accipiant.* Utinam & alterum exemplar adfuisset vel adesset.

Quod absit) Abominatur clientelæ fidem non solidam, & in plures dominos divisam, quod grave sit duobus dominis servire, ut est in Euangelio. Itaque apud majores nostros memorat & laudat Tacitus, quod singulis

gulis Principibus Comites, & clientes sui adhærerent, & quidem eâ devotione, ut *infame illis & probrosum haberetur, superstitem Principi suo ex acie rediisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare præcipuum sacramentum, Principes pro victoria pugnant, comites pro Principe.* Hoc quomodo fiet inter plures dominos? Unde jure cautum est, duorum dominorum vasallum ligium esse non posse. *lib. 2. tit. 52. §. satis bene.*

Tantum se daturos) Ipsis dominis, unde hi alios sibi comites conducere possint. Hæc velut mulcta quædam est, in odium diversos dominos habentium constituta, quod prisca illa integritas (ut dictum) aversabatur. Vetus Auctor de Beneficiis, §. 110. *Si homo duos vel tres habeat dominos, si quis prius inter eos sibi Regis servitium denuntiet, illi homo serviet, & expeditionis auxilium aliis det, si quod habet ab eis beneficium.* Vel substitutum acceptabilem alteri domino mittet, ut est apud Ardizon. *in extraor. cap. 21. & lib. 2. Feud. tit. 52. §. firmiter.*

Præfato loco.) Roncaliis.

Ecclesiarum filiis) Fortè scribendum *fidelibus.* Quid enim filii Ecclesiarum, quum nec Ecclesiasticorum esse debeant? Nisi fortè, ita mos tulit, quum prælatos *Patres* suos vocarent,

vocarent, & *Paternitatem* illorum ſalutarent, viciſſim *Filios* ab illis audiiſſe. Ceterùm Eccleſiæ, ex quo tempore bonis, latifundiis, prædiis, reditibus auctæ fuerunt; beneficiarios etiam ſuos ſibi libellis, precariis, feudis acquiſierunt; & milites, fideles, miniſteriales, advocatos ſuos habuerunt. Immo pro hac ipſa regiâ expeditione peragendâ certum numerum militum, id eſt, nobilium vaſallorum ſibi aſſignatum ſuſtentare neceſſe habebant, ut præter hiſtorias ex hoc ipſo diplomate, & aliis Imperatorum conſtitutionibus notum eſt, ut *libr. 2. Feud. tit. 52. tit. 55. in princ. &* §. *firmiter.*

Miniſterialibus] Ita in diplomatis Epiſcoporum & Abbatum, poſt clericos ſubſcripſit Advocatus, poſt hunc miniſteriales, deinde fideles. Videtis valvas Eccleſiarum, Spirenſis, Wormatienſis, Moguntinenſis.

Principum clientela] Qui feuda à Principibus non habent, ſed affidati, clientes, ſtipendiati, miniſteriales, Palatini eorum ſunt, & (ut mox exponitur) quotidie ad ſerviendum parati eſſe debent. Diverſi ergo miniſteriales à vaſallis, re & nominibus, quibus in antiquis inſtrumentis ſeparantur. *Cometium de N. cum caſtris & munitionibus, fidelibus vaſallis, miniſterialibus, hominibus, & omnibus*

attinentiis. Et in Teutonicis fideles, *Mann* & *Lehenleutte*; ministeriales *dienstleutte* vertuntur. Vide §. *Si ministeriales. tit. de pace tenen.* & Lombard. *lib. 2. tit. 32.*

Quinque mansos] Restringitur hoc in prælatis, ut non denorum, sed quinorum mansorum beneficiarii totidem halspergas bruniasve ducant; quod hi non tam crebras mansorum decades elargiri possint, vel soleant.

Et hoc in arbitrio] Dominorum est electio & dilectus: quos ducant secum, quibus stipendiâ imperent, quibus remittant.

Halspergas concedant] Prorsus remittant, condonent. Hi sunt quos suprà diximus, bonâ cum gratiâ & voluntate dominorum domi remanere.

Quinque libræ] Libra (ait Cuiacius) æstimatur solidis XX. solidi denariis XII. inter Salicos; XL. inter Saxones, & Frisones. *L. 1. & 3. Longobard. De quantit. solid.* sed calculus & nummaria ratio ejus ævi posteris nobis valde obscura, & propè inexplicabilis est.

Quartus addatur) Ergo vasalli equos non præstabant, sed domini eos præbebant. Vel forté hîc legendum, *alatur*, pro *addatur.*

Soumarius) Equus clitellarius, onerarius, *saumros.* In epistolis Petri de Vineis sæpe *sauma*, clitellæ, quæ ab equo commodè gestari possunt.

Procura-

Procuratione) Id est, victu, sumptu, cibariis. Nam in eundo quidem ad Roncalias & redeundo (ut supra cautum) stipendio ibi definitio contenti esse debent; in loco autem à dominis pascuntur. Ut & cum vasalli ad dominorum instantiam curiam habent, id est, judicium feudale exercent, à domino pascuntur. De quo latè Auctor ille *De Beneficiis*, *tit. De ordine placit.* §. 62.

Quicquid à rebellibus regni) De præda tertiam retinent vasalli, quos domini pascunt; quos non pascunt, duas tertias. Alia manubiarum & agri occupati dividendi ratio apud Romanos, ut *Tit. D. De re militari*, & Limitum Auctores docent, nec explicare hujus est loci.

Officiaros speciales) Ministeriales hi vocantur; qui non beneficiati seu feudati, sed Curiali & Palatino vel Aulico jure censentur. Vetus auctor de beneficiis §. 131. *Quidquid homo non suscipit per hominium, non judicetur esse beneficium; sicut quum bona concedit dominus suis ministerialibus, non per hominium, sed secundum jus curiæ; hac concessio caret beneficiali jure, si est concessio officalis. Quivis etiam ministerialis natione erit ex justitia, Dapifer, aut Secretarius* (malim legere *pincerna*) *aut Camerarius*

aut Marſchalcus. Hec quatuor officia (ut ſic dicam) cardinalia, in ipſo Imperio & Aula præcipua, pro ſummo beneficio à Cæſaribus olim dabantur. Sed & ſine his nullus juſtus Principatus habebatur. Ut autem in Imperio paulatim hereditaria eſſe cœperunt; ita & ſub Principibus, equeſtribus tandèm familiis jure perpetuò adſcripta fuerunt.

Decem libræ) Ergo duplo plus, & uno equo amplius habent hi officiales cæteris miniſterialibus. Marſchalco autem, cujus ſub diſpoſitione ſtabulum & res equeſtris, non injuſtâ prærogativâ quartus etiam additur.

Præcurrendum) Levis equus, *Rozinum* Lombardi, & Franci vocant, *Rouſſim de ſervice.*

Pugnandum) Dextrarium illa ætas vocabat, *Deſtrier.*

Remanere) domi.

Monetæ) Incertum quomodo hæc lacuna explenda ſit, *tot libras*, *marcas*, *talenta.* Nam & in hoc variatum. Vetus auctor de Beneficiis, §. 13. *Ibunt illuc & alii omnes imperialia beneficia habentes, quisque cum domino ſuo, niſi talento decimo iter redimat, quod annuatim à domino ſuo habuerat.* Ita in libris Feudorum Conradus Rex ſtatuit, *in Lombardia de modio duodecim denarios, in Teuto-*

nica

nica terra tertiam partem fructuum persolvi, libr. 2. Feud. tit. 40. §. præterea. Fridericus modò indefinitè, *pro quantitate Feudi stipendia militiæ persolvi. libr. 2. tit. 54. §. ut autem* modò definitè, *dimidium, reditus feudi unius anni domino subministrari.* Tit. 55. §. firmiter. Hîc totus fructus feodi in illo anno exposcitur.

Pro stipendio) Ita & suprà; *Sed stipendia nisi voluntate dominorum non prætermittant,* & lib. 2. Feud. tit. 54. *Quicunque indicta publica expeditione Regem, aut sub rege dominum suum, non adjuvaverit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persolvendo, feudum perdat.* Proprio autem & vernaculo nomine hæc stipendia vocantur *Hostenditiæ.* lib. 2. Feud. tit. 40. §. præterea. *Hostenditiæ dicuntur adjutorium, quod faciunt dominis Romam cum Rege in hostem pergentibus vasalli, qui cum eis non vadunt.* Quam vocem à nullo hactenus Feudistarum rectè expositam video, nec patiar certè ab exteris eam in *Hostelitium*, aut *Hostelitias* corrumpi. Est enim merè et verè Teutonica, *Oostendinst*, servitium in exercitu, vel pecunia, quâ illud redimitur: eadem compositione qua *Frohndinst*, *Herrendinst*, *Reutterdinst*, quomodo etiam hodie appellatur illa contributio, quam equestris nobilitas Im-

perio immeditatè ſubjecta et alioquin immunis, voluntariè præſtat.

Præcipimus ut ſinguli] Poſt vaſallorum et militum officia definita, ſtatuit, quid coloni, ruſtici, ſubditi, dominis ad expeditionem illam ſubminiſtrare debeant. Quorum genera et gradus quoſdam diſtinguit, mihi hactenus (nec aliis puto) non ſatis cognitos, non magis quam ipſæ ſunt Hubarum et Manſorum ſpecies; *regales*, *dominicæ*, *indominicatæ*, *ingenuæ*, *ſerviles*, *tributales*, item manſi *veſtiti*, *apſi*, *barſchalci*, *ſenſi*. Sed nec quid *Terra Salica*, quid *Aphtunna* (quam jurnalibus et terræ aratoriæ jungi video) quid *Biſangum* ſit, adhuc inveſtigando invenire poſſum, et docenti Minerval libenter debeam.

Buringi] Hos eſſe puto colonos, qui juſta prædia et villas, curtes integras et inſtructas exercent, non poſſeſſiones fœneas, quas Juſtinianus vocat; quos â colendo et ædificando *Bauren* dicimus. Nam terminatio illa idiomati noſtro familiaris, ſimilis apparet in *Edilingis*, *Freilingis*, *Agilolfingis*. Quin et Guelfos illos, *Guelffingos* dictos Aventinus auctor eſt.

Decem ſolidos] Solidus conficiebat quadraginta denarios. Adſcribam ex Pithœo locum

cum Hincmari de vita et actibus B. Remigii : *Solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur , ſicut tunc ſolidi agebantur , & in Francorum Lege Salica continetur. Et generaliter in ſolutione uſque ad tempora Caroli perduravit , ſicut in ejus Capitulis continetur.*

Navalem aquam] Rhenum, Nicrum, Danubium, Albin, Lycum.

Manſionarius] Qui manſum veſtitum habet, quem bigis aret, ſi Aventino credimus, vel manſum dimidium. Quandoquidem iſte dimidium tantum ejus, quod Buringus daret, pendere jubetur.

Abſarius] Qui manſum abſum : quod quid ſit, pariter ſcio cum ignotiſſimis. Eſt apud Welſerum Annotatio Arnonis Epiſcopi, tempore Karoli M. Regis, hoc eſt, Index eorumquæ quis Epiſcopatui Saliſburgenſi traditit in quo manſi nunc Apſi, nunc veſtiti ſubinde recurrunt : *Tradidit Romanos , & eorum tributales manſos* LXXX. *inter veſtitos & apſos. Manſos veſtitos tres. Manſi* XX. *inter barſcalcos & ſenſos , & inter veſtitos & apſos. Manſos tributales* IV. *apſos. In loco qui vocatur Salinas , fornaces* XX. *& totidem pacellis , & tertiam partem de putiatorio ibidem conceſſit , cum ſylvis , campis , pratis , paſcuis , farinariis. In loco nuncupato Hal , unum putiatorium , inte-*

grum, *quod vulgariter dicitur Galgo* (hoc obiter addam, est puteus aquæ in Sal excoquendæ, Otfrido monacho docente lib. 2. c. 14. *Bi einemo brunnen, thaz Wir ouch puzzi nennen.* Et postea: *Er gab uns ouch zi nuzzi thesan selbon puzzi*, cujus machina & tolleno gabalum seu patibulum refert) *cum mansis* XXX. *inter vestitos & apsos, & exercitales viros. Et farinariis in fluenta Vischaba. Decrevit censum dare unusquisque homo, qui in Hal habitaret, quod barbaricè dicitur Adalparo, tam hi qui in Mana & Mona manerent, quam & illi qui in ipsas salinas manerent.* Appolui omnia, etiam extra rem, si quid inde fortè Lector eruere sibi possit.

Bunajarius] Calamum abjicio. Obversatur tamen vox *Bune*, quæ partem ædium sub tecto, aut superficiem, vel suggrundam etiam hodie significat. Ergo forte superficiarius hic aliquis, vel fortè *Bifangarius* legendum, qui pariter nobis notus.

Quorumcunque larium possessores] Qui focum & caminum habent, unde vectigal pendant, cetera fortè egeni, & victum operis diurnis quæritantes.

Emunitatem] Ita scribebant, unde *Mundat* dicta. Sed malim legere, *firmitatem*.

Asti-

Aſtipulantibus] Suffragantibus, aſſentientibus. In ſexcentis, & amplius diplomatis antiquis donationum, preſtatiarum, legatorum, contractuum, negotiorum quorumlibet illo ævo Corolino ſcriptis legi in fine adſcriptum : *Stipulatione ſubnixa*, ut ſolennem formulam fuiſſe appareat,

Manu propria] Id eſt, quod mox ſequitur, *ſignum*; qualia ſingulorum Cæſarum apud Aventinum, & Onuphrium expreſſa videre eſt. Ea illos proprio manu ſubnotaſſe, haud vana conjectura ducor. De ejuſmodi ſignis mentio fit in *l. bene ù Zenone.* 3. *Cod. De quadrien præſcript.* Ubi eruditè Accurſius notat, ea *Epiſt*, *almata* vocari.

LutWardi Cancellarii] Hoc notore jam de tempore & auctore hujus conſtitutionis certò conſtitui poteſt, quem nec in Magni, nec Calui actis invenio, ſed in Caroli tertii hujus, *Craſſi* vulgo dicti, diplomatis; quorum unum fidei faciendæ ſubjiciam. Hunc LiutWardum (quem ita diplomata, & Regino, Paulus Æmylius *LuitWaldum*, Aventinus, *Luithardum*, nominant) idem *lib.* 4. *Bojorum hiſtor.* Vercellenſem Epiſcopum, & magiſtrum Epiſtolarum facit : ab eoque è comitiis illis Wormacienſibus Richardem Caroli III. conjugem in Urbem, ubi regiam

 ducat

ducat vitam, deductam memorat. Eundem postea Romam ad caussas cognoscendas litesque dirimendas profectum, decretum à Romano Pontifice retulisse, *Licere Episcopis parochias, quas hostis alienus a religione Christi invaserit, deserere, atque ad alias migrare urbes, hasque incolere.* Nec omittam, quæ tandem hujus Cancellarii apud Principem suum fortuna fuerit: similis ferè ei quam Petrus de Vineis in pari dignitate apud Fridericum II. Imp. constitutus, tandem expertus est. Nam (ut Regino auctor est, libr. 2. sub anno 887.) *Carolus Imperator LuitWardum, virum sibi prius percharum, & in administrandis publicis utilitatibus unicum consiliarium, objecto adulterii crimine, eo quod Reginæ secretis familiarius, quam oportebat immisceretur, a suo latere cum dedecore repulit. Deinde, paucis interpositis diebus, conjugem Richardem in concionem vocat, & publice protestatur, nunquam se carnali coitu miscuisse; cum tamen plus quam decennio ei conjugio fuisset sociata. Illa è contra non solum ab ejus, sed etiam ab omni virili contactu se immunem professa, gloriansque de virginitatis integritate, idque se approbaturam divino judicio, vel duelli vel ignitorum vomerum, cum fiducia affirmans, facto dissidio, in monastarium AndelaW, quod ipsa dedicaverat, velum sumptura discessit.* Quod & Anvetinus

Aventinus poſtea, Sigoniusque referunt. Sed & ipſe Carolus (non illaudatus alias Princeps ſuos paſſus eſt manes: ſucceſſorum vivus accipiens Arnulphum, & ampliſſimis regnis amiſſis, in ſumma egeſtate contabeſcens, ut verè in eum quadraret illud:

Irus & eſt ſubitò, qui modò Crœſus erat.

Anno ab incarnatione] Aventinus ſcribit, hunc Carolum primum annos Chriſti in inſtrumentis annotari feciſſe. Sed fallitur; quando & in Caroli M. Francorumque Regum diplomatis apparent.

DCCXC] Hæc Era conſtare non poteſt. Eo enim anno Magnus vixit, & comitia Wormatiæ (ut diximus) egit. Atqui huic tribui diploma iſtud nullo modo poteſt. Et facilis lapſus eſt ſcriptorum in numeris. Reſcribendum ergo eſt neceſſario DCCCXXCI. vel ſequens annus.

Regni autem ejus] Hæc quoque confuſa & mutilata ſunt; cum aliâs diſtinctè ſingulorum regnorum ſuorum annos annotare conſueverit; ut in illo diplomate quod Peutingerus refert in Sermonibus de Germania: *Dat.* XIV. *Kalend. Mart. anno dominicæ incarnationis* DCCCLXXXVI. *indictione* IV. *anno Imperii piiſſimi Imperatoris in Italia* VI. *in Francia* V. *in Gallia* II. *Actum in villa quæ RotWil vocatur.* Ita & in aliis apud Sigonium,

nium, & in hoc memorabili, quod fidei faciendæ (uti promisimus) subjiciemus ex veteri membrana.

IN nomine sanctæ & inviduæ Trinitatis, Carolus, divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis ex nostris rebus pro Dei amore, & remedio animæ nostræ & parentum nostrorum aliquid conferimus, & necessitates servorum Dei assidue sibi famulantium nostro sublevamus juvamine, id procul dubio & nobis ad æternam vitam feliciter obtinendam, & parentum nostrorum animabus ad veniam consequendam profuturum liquidò credimus. Qua de causa omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, comperiat mansuetudo, qualiter nos ob amorem Dei, & remissionem peccatorum nostrorum, atque pro remedio animarum piæ recordationis genitoris nostri H LudoWici, nécnon & karissimi fratris nostri HLudoWici, gloriosissimorum Regum, ad monasterium quod vocatur Lauresham, ubi S. Nazarius corpore requiescit, & præfati Reges humati habentur, exspectantes diem resurrectionis, ubi Gerhardus Abba et rector ejusdem monasterii esse videtur, quasdam res juris nostri, in jus et proprietatem perpetuò possidendum concessimus, videlicet in Comitatu Wormatiensi,

matiensi, ad villam, quæ dicitur Alesheim, curtem indominicatam, sicut ad Imperatorem pertinet, cum mansis, ædificiis, utriusque sexus mancipiis, terris, pratis, vineis, silvis, cultis et incultis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, viis et inviis, et adjacentiis, finibus, et omnia ad se jure legitimo pertinentia. Eo scilicet rationis tenore, ut perpetuo monachis ibidem Deo famulantibus in usibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde in Ecclesia ubi præfati viri requiescunt, habeatur; et nulli præfatæ res in beneficium tradantur, sed ita, auxiliante Deo, permaneant, ad usus fratrum et luminariam inextinctam, veluti prælibando statuimus. Unde et hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nec nostris, nec successorum nostrorum temporibus ullus habeat potestatem, ex supra scriptis rebus aliquid minuere, subtrahere, vel immutare: sed ita inviolabiliter permaneant, veluti prælibavimus. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, et per futura tempora verius à cunctis credatur, et diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus, et annulo nostræ impressionis jussimus sigillari. Karolus Imperator Augustus, Segoinus notarius ad vicem LuitWardi Archicancellarii recognovi, et subcripsi. Data III. Id. Iunii, An. ab incarnatione Domini,

mini. DCCCLXXXIV. Indictione II. anno verò regni domini Karoli Augusti VIII. Imperii autem IV. Actum Wormatiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

FRAN-

FRANCISCI HOTTOMANNI

ICti

Elementa Iuris Feudalis.

Opus postumum

Nunc primum editum

Ex Bibliothecâ

CORNELII VAN ECK

Antecessoris Ultrajectini.

Præfatio.

CORNELIVS VAN ECK
L. S.

HUnc ego poſtumum Franciſci Hottomanni, at quanti qualiſque viri! Libellum diutius tibi, Benevole Lector, invidere nolui. Plures ſunt anni quod in hunc theſaurum auro contra carum, fato ad invidiam uſque felici, incidi. Volumen dico non magnæ molis complectens quædam Fr. Hottomanni opuſcula, manu Johannis Hottomanni, Fr. Fil. deſcriptum, ut ipſe hoc chirographo in ſubſcriptione teſtatum facit: in gratiam nobiliſſimi & pietate ſingulari præditi viri Do. Eppii ab Heringa, ut hoc qualecunque obſervantiæ erga ipſum ſuæ teſtimonium extaret, iſta Juris Civilis Feudaliſque Elementa deſcribebat Genevæ menſe Sextil. CIↃ IↃ LXXVI. Johannes Hotman. *Continentur in eodem volumine,*

M. S.

M. S. Elementa juris Civilis, *&* De Lite ordinandâ Obſervatio *Fr. Hottomanni, præter hæc quæ nunc. Tibi exhibeo, Juris Feudalis Elementa. Sed cum illa Juris Civilis* Elementa *à Partitionibus Hottomanni, quæ in Operibus ejus extant, in multis non niſi titulo differant, &* Obſervatio de Lite ordinandâ, *nihil commune habeat cum Juris Feudalis Elementis; non putabam me operæ pretium facturum, ſi ea, ut nunc eſt, typis committerem. Sed cum hæc, quæ nunc tibi damus, Juris Feudalis Elementa, nunquam vel in Operibus Hottomanni, vel ſeorſim, quantum colligere potui, ſint edita, nolui committere, ut meâ culpâ diutius deliteſceret opuſculum Hottomanno dignum, &, ut omnia magni illius ICti ſcripta, ſtudioſæ legum juventuti utiliſſimum. Quod cum Fornerii, & Contii de Feudis Tractatibus, olim à Marquardo Frehero editis, ſed nunc à nobis, tenebris in lucem revocatis, junctum, juſtum juris Feudalis ſyſtema, in uſum* Collegii Feudalis,
 quod

quod vocant, efficere posse videbatur. Tu, utere [redacted] *fruere, & nostris de Juris, prudentiâ bene merendi conatibus fave.*

ELEMENTA JURIS FEUDALIS FR. HOTTOMANNI JC.

I. FEudum est Beneficium, eâ lege alicui tributum, ut, gratiæ testificandæ causa, obsequium aliquod præbeat. Itaque promiscue Beneficium & Feudum usurpantur. Plerumque autem obsequium feudale militare est, hoc est, ut feudatarius cum armis & equis ad domini sui voluntatem præsto sit, ut in *Constit. Conrad.*

II. Qui Beneficium dat, modo *Dominus*, modò *Senior* promiscuè appellatur: unde vulgata vox *Signor*. Qui accipit, *homo*, *miles*, *vassus*, *vasallus*, *valvasor*, *valvasinus*, *feudatarius*, *beneficiatus*, *cliens*; hæc enim promiscuè usurpantur.

III. *Feudum* & *Allodium* inter se opponuntur. Nam Allodium est, quod pleno patrimonii jure sic tenetur, ut eo nomine nulla

nulla neque gratia, neque merces, neque opera debeatur. *Lib.* 2. *Tit:* 26. §. 2. & *Tit:* 17. § 2.

IV. Feudi jus eſt, ut Clientela militaris inter Seniorem & Vaſallum contrahatur, cujus hæc vis eſt, ut illi mutuam inter ſe fidem ac benevolentiam præſtent. *Lib:* 2. *Tit:* 26 §. *domino.* & *Tit:* 47.

V. Vaſalli obſequium duplex eſt, *Hominium* & *Servitium.* Hominium, quod etiam *Homagium* & *Fidelitas* appellatur, eſt veneratio, quam Vaſſallus Seniori, propter beneficium acceptum, tribuit; cum ſe eo nomine hominem ejus eſſe profitetur, id eſt, in ejus fide manſurum.

VI. Unde fidelitas definitur Jusjurandum, quod vaſallus Domino præſtat. *Lib:* 2. *Tit:* 3. §. & *Tit:* 26. §. 9.

VII. Ea fidelitas variè, pro cujuſque regionis conſuetudine, præſtatur, plerumque autem jungendis dextris. Interdum Vaſallus averſam ſenioris manum oſculatur, ejusque jurisjurandi formula tràditur in *Lib:* 2. *Tit:* 6. §. 2.

VIII. Servitium plerumque operæ militaris fuit. Quâ de cauſâ Vaſallus paſſim *Miles* appellatur: quia etiam ei demum feudum proprium habere licet, qui miles eſt. *Lib:* 2. *Tit:*26. §. *Beneficium.* & *Tit:* 30. *Tit.* 34. §. *Similiter.*

 IX. Re-

IX. Regulariter tamen feudum aliud eſt Civile, aliud Militare. Civile eſt partim Eccleſiaſticum, ut Epiſcopatus, Abbatiæ. *Lib*: 1. *Tit*: 1. § 1. *&* *Tit*: 3. Partim Laicum; quales ſunt Magiſtratus, & Juriſdictiones. *Lib*: 2. *Tit*: 61.

X. Porrò Feudorum gradus ſunt tres: Summus, Medius, & Infimus. Summus, qui & Regalis dicitur, eſt eorum, quæ ab ipſo Imperatore conferuntur: Veluti Ducatus, Comitatus, Baronatus, Marchiæ. *Lib*: 1. *Tit*: 1. §. 1. *&* *Tit*: 7. *&* *Tit*: 44. *Tit*: 17. *Lib*: 2. *Tit*: 10. *&* *Tit*: 34. §. 1.

XII Medius ordo eorum eſt, qui Vaſſi Regii, & Valvaſores Majores dicuntur; quibus Civitas aliqua gubernanda data eſt. *Lib*: 1. §. 1. *Tit*: 7. *Tit*: 17. *et Lib*. 2. *Tit*: 10.

XIII. Infimus eſt eorum, qui ab illis intermediis conſtituti ſunt: atque hi minores Valvaſores ac Vaſalli appellantur. *Lib*:2. *Tit*: 10 §. 1. *et Lib*: 1. *Tit*: 15. Quamvis autem ab his quoque alii infeudari in infinitium poſſint; *lib*: 2. *tit*: 34 §. 4. Tamen, quia eadem omnium conditio eſt, idem quoque feudorum gradus cenſendus eſt. *lib*: 2. *tit*: 26. *et tit*: 34. §. 4.

XIV. Altera Feudorum diviſio eſt, ut aliud ſit Vetus ſive Paternum, aliud Novum. Vetus eſt, quod non ei primum, qui jam

Vaſſallus eſt, conceſſum fuit, ſed ei, cui Vaſallus ſucceſſit, *lib*: 2. *tit*: 11. Novum eſt quod ei primum, qui jam illud obtinet, conceſſum fuit. *lib*: 2. *tit*: 11. *et tit*: 50.

XV. Poſtrema diviſio eſt, ut aliud ſit Proprium, ſive Rectum aliud Improprium, quod appello Feudaſtrum. Proprium eſt, quod propriam, feudi naturam conditionemque retinet; veluti, ut à milite habeatur, ut pro eo fidelitas juretur, ut ſine judicio & damnatione adimi non poſſit. *lib*: 2. *tit*: 2. § 4. Improprium eſt, cujus nomine fidelitas non debetur, vel non militi datum eſt, vel adimi ſenioris arbitrio. quaſi precarium, poteſt. *lib*: 2. *tit*: 3. *in fi. et lib*: 1. *tit*: 1. § 4. *et tit*. 7. Qualia ſunt feuda Guardiæ, Gaſtaldiæ, Cameræ, Cavenæ, & Soldatæ. *lib*. 1. *tit*. 2. *lib*. 2. *tit*. 1. *et tit*. 2. §. 2. Item quod fœminis conceditur. *lib*. 2. *tit*. 3. §. *pen*.

XVI. Vulgaris diviſio, ut aliud ſit Ligium, aliud non Ligium, repudianda eſt: neque aliam auctoritatem habet, niſi ex Gloſſ. *C. Paſtoralis. De ſent*: *et rejud. in Clem*. Ligium vulgus interpretatur, qui fidelitatem alicui nullo excepto jurat: At hæc jurisjurandi feudalis veriſſima eſt formula: ut patet ex *lib*. 2. *tit*. 2. *et tit*. 28.

XVII. Deinceps ad partitionem accedamus

mus, de personis, rebus & jure. De personis regula hæc esto: Is demum feudi proprii capax est, qui miles est & militarem operam præstare potest. Qua de causa neque mutus, neque cœcus, neque mancus feudi capax censetur. *lib.* 2. *tit.* 74. *lib.* 1. *tit.* 6. §. 3 Sic qui clericus aut monachus efficitur, ejus feudum, si novum est, domino suo aperitur, id est, committitur; si paternum est, agnatis ipsius aperitur. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *Qui cleri. et tit.* 21. ubi generalis regula traditur: Beneficium ei soli conceditur, qui potest præstare officium; vel sic: Beneficium datur propter officium.

XVIII. Cum Feudalis clientela sit militaris, proprium feudum in feminas non cadit. Itaque Mulier ad Paterni feudi hereditatem non admittitur. *lib.* 1, *tit.* 1. §. 3. *et tit.* 8. *et tit.* 24. Ubi proles feminei sexus, vel masculus ex femineo sexu descendens à feudi successione removetur. *lib.* 2 *tit.* 11. § 1. Improprii tamen feudi mulier capax est, primum beneficio, id est, investiturâ deinde pacto in Infeudatione adhibito, ut etiam ad mulieres transeat. *lib.* 1. *tit.* 15. *et tit.* 24.

XIX. Minor jure feudali dicitur plerumque respectu plenæ pubertatis id est, 18. annorum *lib. Lombard* 2. *tit.* 29. Interdum tamen pro impubere usurpatur: ut

ut *lib.* 2. *tit.* 26, §. *Si minori.* Huic autem deferri feudum & beneficio & ſucceſſione poteſt, ut *pag.* 14. h. e. *lib.* 2. *tit.* 55. §. *præterea ſi quis.* Tunc igitur vaſallus vicarium muneris militaris ſubſtituet; ut in § *firmiter*, *eod. tit.* & *tit.* 26. §. *Si quis deceſſerit.*

XX. Adoptivus autem & naturalis filius neutro modo feudi ſunt capaces: *d. tit.* 26. §. *adoptivi* & §. *naturalis.* Servi autem Infeudationis quidem teſtes eſſe non poſſunt, quanquam,alieno nomine inveſtiri, h. e. infeudari poſſint. *lib.* 2. *tit.* 58. § 2. *et tit.* 3. §. *per ſervum.*

XXI. Rerum earum demum conſtitui feudum poteſt, quæ vel immobiles ſunt, vel in jure conſiſtunt: nam mobilium feudum non conſtituitur.*lib.* 2. *tit.* 1. §. 2. In jure autem conſiſtunt feuda de Camerâ, id eſt, penſio pecuniaria, quæ de camera ſive arca depromitur. Item feuda de Cavenâ, id eſt, annona, quæ de ſenioris cella ſive penu præſtatur *lib.* 2. *tit.* 2 §. 2. Utrumque feudum *Soldatæ*, quaſi dicas *Annonæ*, appellatur in *lib.* 2. *tit.* 10. §. 2.

XXII. Inter jura præcipuum locum obtinent Ducatus, Comitatus, Marchiæ, item Epiſcopatus, Abbatiæ, cæteraque opima ſacerdotia, quæ idcirco Feuda Regalia dicuntur, quoniam à Rege, id eſt, Imperatore

conferebantur. *lib.* 2. *tit.* 40. §. *ult.* Idemque traditur in Lombard. *lib.* 3. *tit.* 1. *l.* 31. & in Capitul Caroli Magni *tit.* 2. *cap.* 6.

XXIII. Dari autem in feudum non possunt, quæ jure alienari non possunt. *lib.* 2. *tit.* 3. §. *Sed etiam.* à quâ tamen regulâ res ecclesiasticæ, vel potius opima sacerdotia excipienda sunt, ut suprâ diximus.

XXIV. Regulæ autem ratio est, quoniam, ut locatio in longinquum tempus quædam alienatio est, ita constituendo feudo alienari quodammodo res videtur; quandoquidem Lotharii lege ad posteros feudum transfertur. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 2.

XXV. Feudum sex adquiritur modis, quorum primus est donatio. Hæc autem donatio non pura est, sed sub modo fit, negotiumque in se continet, nimirum ut certum officium, sive servitium à vasallo præstetur. *lib.* 2. *Tit.* 23. §. 2.

XXVI. Secundus est Emptio *lib.* 1. *tit.* 16. Quod tamen à proprii feudi naturali conditione abhorret, quod non pecuniâ, sed beneficio adquirendum est. *lib.* 1. *tit.* 27. §. 1. Et huc pertinet Lex Commissoria pignoris, quam Obertus probat. *lib.* 2. *tit.* 51. §. 2. Sed contra Gerardum *lib.* 1. *tit.* 27. Nam si donare licet, quid ni donationis causâ vendere viliore pretio licebit?

Si quis donationis. 38. *D. de cont. emt.*

XXVII. Tertius eſt Permutatio, quod Cambium appellatur, cum vel feudum vel allodium pro feudo traditur. *lib.* 1. *tit.* 4. §. 3. *lib.* 2. *tit.* 25.

XXVIII. Quartus eſt Succeſſio, quæ tota legitima eſt: nam de feudis teſtamenti factio nòn eſt. *lib.* 1. *tit.* 8. §. 1. Propterea, quod Imperatoris inſtituto feuda in Vaſſallorum filios poſteroſque tranſeunt. *lib.* 1. *tit.* 1. §. Itaque ne Pater quidem uni ex filiis ſuis prælegare Feudum poteſt, ne filius patrem potius, quam Seniorem beneficii patronum agnoſcat. *arg. L. ſi arrogator.* 22. *D. de adopt.*

XXIX. Hoc loco fundamentum illud jaciendum eſt: Feudum vaſallo datum liberis poſteriſque ipſius, qui virilis ſexus ſunt, datum intelligitur. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 2. & *tit.* 20. Unde præcepta hæc ſequuntur:

(1.) Cum de filiis & poſteris virilis ſexus nominatim cautum ſit, & filiæ & mares ex filiabus prognati excluduntur. *lib.* 1. *tit.* 15.

(2.) Cum hoc jus ſucceſſionis tertii ordinis vaſſallis nominatim ſit conceſſum; *lib.* 1. *tit.* 1. in regalibus feudis non eſt locus ſucceſſioni jure ſcripto, ſed moribus & conſuetudine ſucceſſio in regalibus feudis admittitur. *lib.* 1. *tit.* 14. §. 1.

(3.) Filii posterique omnes æquis ex partibus, sine ullâ ætatis prærogativâ, succedunt, quamvis dividere inter se feudum suo arbitratu possint. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 2. *Et tit* 50. *&* *tit.* 55. §. *præterea ducatus.*

(4) Feudum liberis posterisque attributum omnibus inferioribus gradibus in infitum attributum intelligitur. *lib.* 2. *tit.* 50. Sic ut repræsentationi sit locus, veluti ut nepos ex filio simul cum altero filio, patruo suo, in avi feudum succedat. *lib.* 1. *tit.* 1. §. 3. *&* *tit.* 8. *&* *tit.* 20.

(5.) Liberis deficientibus, si quidem feudum sit paternum, frater, unàque cum eo fratris demortui filii succedunt. *lib.* 2. *tit.* 2. §. 2. At si novum sit feudum, frater non succedit, ut postea dicemus.

(6.) Si è pluribus filiis uni feudum ex divisione obtigerit, quod gradatim ad ipsius posteros devolvatur, ut primum masculus in eâ lineâ desinet, continuò ad cæteras stirpes revertitur. *lib.* 2. *tit.* 50. *Et tit.* 11. §. 11.

XXIX. Atque hæc quidem de liberis: nam feudalis successio transversaria nulla est. Feudi natura talis est, quod adscendentes non succedunt *lib.* 2. *tit.* 50. Id est, supra primum investitum adscendere Feudi successio non potest. Itaque neque parentes

tes, neque agnati primi investiti ad successionem admittuntur. Cum igitur paternum feudum est, eo, qui hereditate illud obtinuit, mortuo sine liberis, frater quidem succedit, sed non tanquam fraterno feudo, verum tanquam paterno. *lib.* 2. *tit.* 70. §. 2. Quod si feudum novum est, nulla in eo fraterna successio est, sed ad dominum revertitur. *lib.* 1. *tit.* 8. §. 3. & *tit.* 18. & *tit.* 20. & *lib.* 2. *tit.* 12.

XXXI. Qnatuor tamen casibus frater ad fraterni feudi successionem admittitur (1) Si pacto id convenerit (2) Si pecuniâ communi feudum adquisierint. (3) Si simul habitarint. Et (4) si unà in castris militantes id adepti fuerint, *Pag.* 3. §. 4. *h. e. Lib.* 1. *tit* 20. & 1. §. 2. & *Lib.* 2. *tit.* 12.

XXXII. Quod de fratribus dictum est, idem in cæteris agnatis locum habet. Itaque si tres fratres fuerint, quorum unus relictis liberis decesserit, alter jam sine liberis moritur, superstes frater unà cum demortui filiis succedet. Verum neque ille, ut Fratri, neque hic, ut Patruo, succedet: sed tanquam nepotes avo. Hujus ergo disputationis duæ regulæ teneantur:

(1) Jus Feudalis Successionis primi investiti personam non transcendit: Nam ut primum stirpe unâ exstinctâ constitit, continuo

nuo ad alteram ſtirpen defertur. At iis omnibus exſtinctis, ad Seniorem beneficii auctorem revertitur. *lib.* 2. *tit.* 11. §. 2. *et lib.* 1, *tit.* 8. § 3.


Quod ſi plures ſint ſtirpes, pluresque demortuorum liberi, tum diviſio fit in ſtirpes, propter jus repræſentationis, quod illis liberis conceditur.

(2) Jus feudalis ſucceſſionis inter agnatos tam gradus, quam ſtirpis ſive lineæ prærogativâ nititur. *lib.* 1. *tit.* 50. Eaque eſt quæ προτίμησις appellatur, quæ non ſatis conſideratè *Prioritas graduum* dicitur: cum illa prærogativa potius ſtirpis, quam graduum propinquitate conſtet. *lib.* 1. *tit.* 5. §. *præterea.*

XXXIII. Ponatur Titius primus inveſtitus A. ex eo duo filii B. C. feudum ad B. perveniſſe, qui duos filios reliquit, D. & E. feudum ad E. perveniſſe: quo moriente, cum ex D. natus eſſet F, ex hoc vero G.;

Quæritur, uter ad ſucceſſionem E. defuncti admittatur G. an C? nam ſi gradus prærogativam ſpectemus, C. tertio tantum gradu diſtat ab E. G, verò quarto. Sed quia G. ſtirpis prærogativâ nititur, idcircò præfertur C. quia alterius ſtirpis eſt.

Sic



XXXIV. Sic igitur πρὸτίμησις definiatur *Jus, quo agnatus, qui ejusdem stirpis est, alteri agnato, qui ejusdem tantum gentis est, præfertur.* Vel sic, *Prærogativa inter agnatos est, ut is qui ejusdem & stirpis et gentis est, ei, qui ejusdem tantum gentis est, præferatur. Lib.* 2.

XXXV. Quare in jure feudali, ubi de successionibus posterorum & descendentium tantummodò quæritur, non integra cognationis figura usurpanda est, sed genealogia tantum

tandum describenda, semperque is, qui de feudo (cujus de successione agitur) primus investitus est, primo ac summo loco collocandus est; tum sub eo stirpes ac progenies demonstrandæ. *lib.* 2. *tit.* 31. Ubi quartus gradus dicitur respectu primi investiti, qui gentis auctor ac princeps est: neque unquam patruus vel propatruus, vel patruelis propriè nominandus est, quia nunquam, tanquam patruo vel patrueli successio defertur, sed tanquam nepoti vel pronepoti primi investiti.

XXXVI. Quintus adquirendi feudi modus est, Præscriptio 30 annorum, si modò vasallus à seniore rogatus servitium & homagium præstiterit. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *Si quis et tit.* 33. §. 1. Sed præscriptio non ipsius proprietatis intelligenda est, verum usus fructus feudalis; quia vassallus non sibi, sed seniori; non *pro suo* sed *pro alieno* possidet. *lib.* 2. *tit.* 8. §. *ult.* Senior autem ob servitium non præstitum libertatem sui prædii nullo tempore præscribit: quia Vasallus nisi monitus servitium non debet. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *licet. et lib.* 1. *tit.* 21.

XXXVII. Sextus & ultimus adquirendi feudi modus est traditio, quæ investiturâ fiebat; cujus quatuor sunt partes (1) insigne

ne honoris, (2) hominium, (3) testatio, & (4) inductio in possessionem.

XXXVIII. Insigne honoris varium est: nam insigne Regni tradendi est sceptrum, vel gladius. Ducatus verò, vexillum ab Imperatore Principi alicui porrectum. Unde Ducatus *Feuda Vexillorum* appellantur: Comitatus vero & Baronatus, Hasta; Episcopatus, Annulus & Virga. Minorum autem feudorum, Fustis: Unde vetus formula: *Tu, Pascuti, fustem illum manu capito. Tu, Segniti, fuste illum investito.*

XXIX. *Duces* autem sunt, quibus merum mixtumque imperium in regionem aliquam universam ab Imperatore mandatum est: *Comites*, quibus pars ejus regionis regenda commissa est: Nam proprie *Dux* dicitur, cui XII. Comites subsunt: *Comites* cui XII. Barones. *Barones* autem sunt Regni Optimates, id est, nobilitatis Principes: qua propter his in libris *Capitaneorum* nomine appellantur. *lib.* 1. *tit.* 1. & *tit.* 7. Ac notandum est, illa honoris insignia, si de feudis illis regalibus, eorumque investiturâ controversia oriatur, præferenda esse. *lib.* 2. *tit.* 27. §. *Si duo.*

XL. Homagii definitionem, & ritum suprà attigimus. *Testatio* autem est *Convassallorum*, qui *Pares* appellantur, præsentia:

ſentia: Nam pro Collegio inveſtitura fit. *lib.* 2. *tit.* 2. Tametſi duorum triumve præſentitia ſufficit. *lib.* 1. *tit.* 26. *lib.* 2. *tit.* 33. Si Pares nulli exſtent, duo treſve extranei teſtes adhibentur. *lib.* 2. *tit.* 58. §. 2. Scripturâ autem opus non eſt, quæ ſi adhibeatur, *breve teſtatum* appellatur. *Lib.* 1. *tit.* 4. §. 1. 4. 6.

XLI. Inductio in poſſeſſionem hoc jure eſt, ut ſi antè Inveſtituram facta ſit, pœnitententiæ locus ſit. *lib.* 2. *tit.* 33. *lib.* 1. *tit.* 25. At qui prius inveſtivit, neque pœnitere, neque conſilium mutare poteſt. *lib*, 1. *tit.* 4. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *Si facta.* Inveſtitura autem ſemel facta, toties renovanda eſt, quoties vel Vaſſalli vel Senioris perſona mutatur. *lib.* 2 *tit.* 3. *et tit.* 32.

XLII. Deinceps de jure Feudorum videamus nam Vaſſallus quidem obligatur, Senioris ſui caput & fortunas contra omnes, & filium & fratrem, exepto ſuperiore domino, defendere, *lib.* 2. *tit.* 5. *et tit.* 6. Et quoties Senior poſcit promiſſum ſervitium præſtare. *lib.* 1. *tit.* 21. §. 2.

XLIII. Obligatio Senioris eſt, ut mutuam in Vaſſalli capite & fortunis defendendis fidem ac benevolentiam præſtet. Itaque ob ſuas perfidiæ ac feloniæ cauſas Vaſſallo feudum eripitur; ob eaſdem Seniori adimitur.

lib.

lib. 2. *tit.* 26. §. *Domino.* & *tit.* 47. Itaque præclara Lex apud Germanos exſtat *lib.* 3. *Art.* 54. ut, cum Imperator eligitur, Juret fidem & homagium Imperio, & quod ſalva Imperii Jura tuebitur.

XLIII. Reale Jus Feudorum eſt, ut Seniori non liceat Vaſſallo feudum adimere, niſi cauſâ Parium conſilio cognitâ, & judicio pronunciatâ. *lib.* 1. *tit.* 7. & *Pag.* 5. Item ut Senior ſine Vaſſalli voluntate, feudum alienare, aut in feudum alteri concedere non poſſit. *lib.* 1. *tit.* 22. §. 2.

XLIV. Item ut Vaſſallo ſine liberis virilis ſexus, & ex virili ſexu prognatis mortuo, vel ejus ſtirpibus omnibus extinctis, feudum Seniori aperiatur, id eſt, tanquam vacans & caducum committatur. *lib.* 2. *tit.* 11. & *tit.* 15.

XLV. Item ut Vaſſallus nullam ſui feudi partem ſine Senioris permiſſu alien. Et *lib.* 2. *tit.* 52. §. 1. & *tit.* 40. §. 2. & *tit.* 55. Adeo ut, etiam ſi, antequam ſenior reſciſcat, illud fortè recuperet, retinere tamen illud ne feudi quidem nomine & Jure poſſit. *lib.* 2. *tit.* 44. Niſi fortè id alteri in feudum cedat, ſine fraude ac dolo malo. *lib.* 2. *tit.* 8. §. 1. Quod tamen Frederici conſtitutione ſublatum arbitror, niſi Senio-

ris permiſſu id faciat. *lib.* 2. *tit.* 55. §. *callidis & §. illud quoque.* Item ut ſi Vaſſallus agnatos habeat ex eodem primo inveſtito prognatos tum alienare Paternum feudum in Perſonam extranei, ne Senioris quidem permiſſi, poſſit, niſi adjuncto agnatorum omnium conſenſu. *lib.* 2. *tit.* 39. §. 1. Ac ne in Filiam quidem ſuam inveſtituram transferre. *lib.* 1. *tit.* 8. §. 2.

XLVI. Item ut neque illud oppignorare poſſit. *lib.* 2. *tit.* 55. §. 1. & *tit.* 8. § 2. Cum tamen antiquitus partem & oppignorare & alienare poſſet. *lib.* 1. *tit.* 5. § 2. Quanquam ſi eâ lege inveſtitura facta eſt, ut Vaſſallo feudum alteri cedere liceat, id, etiam domino ignorante & invito facere, poſſit. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *pen.* & *tit.* 48.


XLVII. Hoc loco de Refutatione Feudi dicendum eſt. Eſt autem Refutatio *Ceſſio Feudi, cum Vaſſallus aut Seniori aut Agnato alicui, qui modò ex primo Inveſtito, qui eodem capite prognatus eſt; vel feudum, de quo jam inveſtitutus eſt, vel ejus ſpem ad ſe pertinentem, transfert.* Nam feudi quidem alienatio interdecta eſt, quaſi ſi teſtator prædium aliquod extra ſuam ſtirpem alienari vetaret. *l. ult. C. de reb. al. non alien.* Sed feudi & delati, & ſperati refutatio, etiam pretio accepto permiſſa eſt. *lib.* 2. *tit.* 39.

XLVIII. Si

XLVIII. Si feudum vel totum vel ex parte Seniori refutetur (quod etiam invito Seniore, facere licet) præſtandi quidem ſervitii obligatio exſtinguitur: at honoris & reverentiæ obligatio ſemper manet *lib.* 2. *tit.* 9. §. 1. *tit.* 39.

XLIX. In agnatum verò refutatio fit ita demum, ut dixi, ſi agnatus ex primo inveſtito ſit prognatus, & feudi capax, h. e. non ſurdus, mutus, cæcus, ut ſupra dictum eſt: Alioquin Refutatio extra ſtirpes primi inveſtiti pro alienatione illi cita haberetur. *lib.* 2. *tit.* 39.

L. Quid igitur, ſi plures ex eodem capite ſint prognati? Nulla ne inter eos prærogativa eſt? Nullum privilegium? Imò hic quoque Privilegium ſive προτίμησις ſervatur eadem quæ in ſucceſſionibus, hoc eſt, ut non tam gradus, quàm ſtirpis ratio ducatur. *lib.* 2. *tit.* 50. Refutatio igitur in eum, qui ejusdem ſtirpis eſt, potiſſimum, facienda eſt; nam is, qui ejuſdem ſtirpis eſt, potior habetur eo, qui eſt alterius ſtirpis ſive lineæ, quamvis gradu ſit propinquior, ut in ſucceſſionibus docuimus: Velut in hac tabula,



LI. Quintus hic privilegiarius dici poteſt. Sextus ergò ſi refutare volet, potius in quintum id facere debebit, quam in Tertium.

LII. Licet tamen Privilegiariis, id eſt, iis, qui ſtirpe potiores ſunt, ſuum Jus remittere, & refutationi in alium conſentire, Ac tum prælationem in perpetuum amittunt, h. e. ut etiam poſt refutatoris mortem recuperare feudum non poſſint, quamvis pretium, quod forte alter dedit, offerant. *lib.* 1. *tit.* 5. § 3. Velut in eâdem tabulâ: Quintus conſentiens refutationi Sexti in Tertium, ſuo Juri in perpetuum renuntiat: Quod eodem modo de iis, qui ejuſdem & ſtirpis & gradus ſunt, intelligi debet.

LIII. Quod ſi refutatio illa facta ſit ſine potioris, h. e. Quinti conſenſu, tum Quintus vivo quidem Sexto repetere feudum non

non poteſt, at poſt ejus mortem poteſt, non reddito pretio. *lib. 2. tit. 25. Titus, & tit. 39.*

LIV. Quod ſi Refutatus filium habeat, ſi quidem filius non conſenſit, poterit, etiam Patre vivo, reddito tamen pretio, id repetere. Si conſenſit, aut per annum tacuit, omnino removebitur.

LV. In Refutatione verba pacti diligenter notanda ſunt; quia Refutatio nominatas perſonas non egreditur. Itaque ſi Titius tres habeat filios; Primum, Secundum, Tertium. Eo mortuo Secundus Primo ſuam partem ita refutet; *Pro te tuisque heredibus:* Mortuo ſine filiis primo, Tertius ſuam tantum, id eſt, dimidiam ex illa ſucceſſione portionem obtinebit. *lib. 2. tit. 26. §. ult. & tit 49.* Nam heredis appellatione in hoc Jure ſolus filius aut nepos, qui in filii locum ſucceſſit, continetur *lib. 2. tit. 34.*

LVI. Feuda quidem Regalia, nimirum Ducatus, Marchiæ, Comitatus Friderici conſtitutione individua ſunt. *lib. 2. tit. 55. §. præterea.* Atque ita Juſtinus de regno *lib. 21. Firmius*, inquit, *futurum eſt Regnum, ſi penes unum remanſerit, quam ſi portionibus inter filios plures dividatur.*

LVII. Vulgaria autem feuda & communionem & diviſionem recipiunt: Nam &

duo de uno feudo investiuntur. *lib.* 1. *tit.* 14. §. *Si duo & lib.* 2. *tit.* 12. Et plures filii feudum paternum interdum divisum, interdum indivisum possident. *d.* §. *præterea.* & *lib.* 1. *tit.* 8 Sed illa divisio tantum ad fructus & proventus feudi pertinet, ut plures Vassalli feudum inter se partiantur. Sed quantum ad Servitium & Hominium, maged quæstio est.

LVIII. Nam inter Pragmaticos dici solet, unum posse duorum Vassallum esse non Ligium: Itemque unius ligium, alterius non ligium: Duorum vero ligium uno eodemque tempore dici non posse. *Gloss. in c. pastoralis, De sent. & re Iudic. in Clement.*

LIX. Sed jam supra dictum est, Ligii nomen ab Italis confictum esse, neque aliam fingi ligiorum conditionem, quam quod Vassallis tribuitur. *lib.* 2. *tit.* 26. § 7. Quare ex Jure nostro hæ potius regulæ serventur.

LX. Cum Dominus unus est, feudum unum, Vassalli plures; fidelitatem quidem & hominium singuli præstare debent. *d.* §. *præterea.* & *lib.* 2. *tit.* 26. §. *omnes.* Sed servitium unicum ex unico feudo debetur. *arg. L.* 7. *D. Commundivid.* Ubi Vectigalis ager inter coheredes dividitur, sed mercede ab uno soluta ceteri liberantur: ita ta-

tamen, ut qui solus servitium præstiterit, indemnitatem â cæteris postulet. *l. here.* 25. §. *an ea* & §. *seq.* D. *Fam. ercisc.*

LXI. Cum Dominus unus est, feuda plura, Vassallus unus, si nihil nominatim convenit, cum ejusmodi feuda sunt, ut ex singulis ali singili equites possint, pro singulis singula & servitia & hominia debentur; non quo unus plura uno tempore servitia præstet, verum ut muneris sui vicarios præbeat. *lib.* 2. *tit.* 54. & *tit.* 55. §. *firmiter.*

LXII. Cum plures Domini sunt, feudum unum, licet Vassallo postulare, ut Domini communi consensu statuant inter se, cui tum hominium, tum servitium præstetur. *arg. l.* 23. § 1. D. *d. oper. libert.*

LXIII. Quod si Domini inimicitias inter se exerceant, subsidium ei debetur, cujus justior causa Vassallo videbitur. *l.* 3. §. 2. *D. de Sen. Silian.* Uby servus non succurrens dominæ, quam maritus in adulterio deprehensam necat, excusatur.

LXIV. Si plures sunt domini, feudum unum, Vassalli plures, distinctio adhibenda est. Nam si feudum novum est, & à duobus ejusdem prædii sociis, duobus constitutum, quia par est, ejusmodi feudum esse, ut ejus fructibus ali plures possint, tot servi-

tia debentur, quot sunt Vassalli: Si plures sint Domini quam Vassalli, impetrandum erit à dominis, ut inter se statuant, cui servitium præstetur. Si paternum feudum est, si quidem feudum opimum, singuli Vassalli singulis dominis singula servitia debent: Sin autem exilius, idem impetrandum. Cum plures Domini sunt, feuda plura, Vassallus unus: tunc Vassallus singulis dominis, pro singulis feudis, singula servitia debebit: quorum partem per Vicarios præstabit. *d.* §. *firmiter et lib.* 2. *tit.* 54.

De Judiciis Feudalibus.

LXV. Varia variis in locis jura de iis traduntur, sed novissimum quodque retinendum est: Ergo Friderici Constitutione sancitum est, si Vassallus cum Patrono controversiam habeat, ut Parium judicio disceptetur. *lib.* 2. *tit.* §. *ult.* Sunt autem Pares qui ab eodem domino de suis feudis investiti sunt, qui et *Pares Curtis* et *Pares de domo domini* et *Compares* dicunter. Horum officium est triplex: ut novi Vassalli investituræ adsint. *lib.* 2. *tit.* 2. Ut rogati de investitura testimonium dicant. *lib.* 2. *tit.* 19. Ut feudalium causarium judicia exerceant. *lib.* 2 *tit.* 52. Si verò inter ipsos Convassallos controversia sit, Senior ipse judex est. *d. tit.* 55. § *ult.*

LXVI. Quod si inter Vassalli defuncti

agnatos,

agnatos, & extraneum possessorem lis exorta sit, Senior cum reliquis Vassallis cognoscet. *lib.* 2. *tit.* 46. Quod si de regalibus feudis controversia sit, ad Imperatorem appellandi jus est. *lib.* 1. *tit.* 21. *et tit.* 22.

LXVII. Causæ autem feudi amittendi in Vassallo sunt hæ XX. quæ passim *Feloniæ* appellantur, quæ sunt crimina feudalia; quorum hæc sunt quatuor: Cædes Senioris, Vulneratio, Pulsatio, & Insidiæ ipsi factæ. *lib.* 2. *tit.* 57. *lib.* 1. *tit.* 17. Quinta est, obsessio & oppugnatio arcis ipsius. *lib.* 1. *tit.* 5. Sexta, domini desertio in prelio, aliove capitis periculo *lib.* 1. *tit.* 5. & *lib.* 2. *tit.* 24. §. 3. Octava & Nona, accusatio & testimonium capitale in Dominum. *lib.* 2. *tit.* 24. §. 4. *et tit.* 33. Decima: Celatio insidiarum et periculi, quod vitæ & fortunis domini comparatum est. *lib.* 2. *tit.* 24. §. 4. *et tit.* 28. § 2.

LXVIII. Aliæ (X) hæ sunt. Nam undecima hæc est, *Cucurbitatio* dominæ: quo verbo maculam, quæ ex stupro in Senioris domum illata, Feudistæ significant. *lib.* 1, *tit* 5. §. 1. *et tit.* 21. §. 2. *et tit.* 24 §. 3. Ubi etiam conatus attentatæ pudicitiæ et lusiones obscœnæ prohibentur (XII) Parricidium in Senioris patrem aut matrem, aut Vassalli fratrem. *lib.* 2. *tit.* 37. (XIII) Con-

O 5 tem-

temptus Evocationis: cum patrono ad expeditionem evocanti non paruit. *lib.* 1. *tit.* 12. §. 1. (XIV) Prætermiſſio renovandi hominii per annum et diem. *lib.* 1. *tit.* 22. *et lib.* 2. *tit.* 24. (XV.) Abnegatio clientelæ, cum Vaſſallus Seniorem ſuum inficiatur. *lib.* 2. *tit.* 25. §. 2. *et tit.* 22. (XVI) Contumacia in judicis id eſt, deſertio litis. *lib.* 2. *tit.* 22. (XVII) Commiſſi ſecreti enunciatio, quod Feudiſtæ *Credentiam manifeſtatam* appellant. *lib.* 1. *tit.* 17. (XVIII) Alienatio vel pignoratio feudi, ſine permiſſiu Senioris. *lib.* 2. *tit.* 55. §. 2. (XIX) Debilitatio corporis. *lib.* 1. *tit.* 6. §. 3. (XX) Sacerdotium; cum Clericus aut Monachus fit is, qui Vaſſallus erat. *lib.* 2. *tit.* 21.

LXIX. Si publicum crimen eſt, hoc eſt, ex eorum genere, quæ in jure civili publica nominantur, tum non Seniori, ſed agnato proximo feudum aperitur, etiam liberis damnati Vaſſalli præteritis. *lib* 2. *tit.* 24. §. 5 *et tit.* 31. quaſi unâ ſtirpe damnatâ feudum ad alteram, cui deſtinatum à Seniore fuerat, deferatur.


XLXX. Porro, quibus de cauſis feudum à Vaſſallo amittitur, iiſdem de cauſis à Seniore amittitur, et Vaſſallo aperitur. *lib.* 2. *tit.* 26. §. *domino et tit.* 27.

FINIS.

Schemata

Schemata de Succeſſione Feudali.


LXXI. Prima tabula pertinet ad quæſtionem, utrum mortuo *A.* ſuccedat in ejus feudum *D.* ſuperſtes ex præmortuo *C.* unà cum *B.*? an verò ſolus *B.* ſit heres? Reſpondetur *D.* una cnm *B.* admitti. *lib.* 1. *tit.* 8. *et tit.* 19. §. *Si quis miles. Si quis miles.* Ex quo intelligitur repræſentationi locum eſſe. Ac proinde ſi cum *D.* ponamus *C.* hoc eſt, duos filios ex *C.* ſuperſtites, hereditatem in ſtirpes, non in capita, dividendam eſſe. *lib.* 1. *tit.* 8. *et tit.* 11.




LXXII. In ſecunda figura *D.* mortuo ſine filio *E.* qui eſt ſuperſtes ex *B.* præmortuo, ſuccedit in illius paternum feudum una cum *C.* *lib.* 2. *tit.* 11. §. *his verò.* Ex quo intelligitur repræſentationi locum eſſe, ac proinde ſi cum *C.* ponamus *F.* hoc eſt, duos filios ex *B.* hereditatem in ſtirpes diviſum

iri

iri: ſic ut *C.* ſemiſſem habeat, E & *F.* alterum ſemiſſem: arg *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. *C. de ſu. et leg.*




LXXIII. In tertia figura, *D.* mortuo, *E, F, G,* ſuperſtites ex *B.* demortuo, ſuccedunt illi *D.* una cum *C.* idque in ſtirpes, non in capita: ut modò dictum eſt, *ex lib. 2. tit.* 11. §. 2.



LXXIV. Quarta Figura, in qua feudum, quod, hereditatis diviſione, ad *B.* pervenit, et gradatim ad *C.* pervolutum eſt, ipſo ſine liberis virilis ſexus mortuo, redit ad tres


reliquas

reliquas ſtirpes æqualiter. *lib.* 2. *tit.* 50.




LXXV. Quinta, in quâ huic regulæ locus eſt: jus feudalis ſucceſſionis non tam gradus, quam ſtirpis prærogativâ nititur. Itaque *G.* ſolus ſuccedit *E.* qui ſolus ſine liberis mortuus eſt. et *C.* qui uno gradu propior erat, excludetur:

LXXVI.



LXXVI. Superest figura Refutationis, in qua προτίμησις sive prærogativa eadem servatur, quæ in successione: ut is, qui ejusdem stirpis est, ei, qui alterius stirpis est, præferatur, quamvis remotiore ab illo gradu sit. Itaque *F.* cujus in persona feudum versatur, debebit potius feudum refutare in *H.* qui quinto gradu ab illo disjunctus est, quam in *C.* qui quarto tantum ab illo gradu dis-

disjunctus est. *lib.* 1. *tit.* 5. §. *præterea lib.* 2. *tit.* 38. *et tit.* 49.



Finis Elementorum Feudalium
Fr. Hottomanni.

INDEX
CAPITUM, & RERUM
Quæ in his Iuris Feudalis Tractatibus continentur.

T.

V.

Z.



